CONSULTATIONES
EPISTOLARES MEDICAE

ANTONII HYACINTHI
SANCT' ANGELI

Medicinæ, ac Philoſophiæ
DOCTORIS,

ET

Sacræ Theologiæ Speculativæ
LICENTIATI,

Baſſiani Terracinen. Diœceſis.



Romæ, Typis Dominici Anton. Herculis. 1713.

SUPERIORUM PERMISSU.

BENEVOLO LECTORI.

QUIA benevolentiæ officiis per se complectenda est ipsa Virtus, atque in honore habenda; ideò in te literarum studio eruditum, benevole Lector, veneratio, & amor meus est, quantus potest esse maximus: quarè, cum hoc in unum omnes descendant, ut dè quibus recta opinio habetur, scripta jis commendentur; Consultationes meas Epistolares, Medicas ad Te mitto, ut vera nobilitate tua, à Virtute orta, eas in nobilium ordinem adscribas, atque ut & obscurum, & imperfe-

ctum, & inconcinnum ipsarum eximia indole tua placidè feras; hoc, si agas, & oro, dùm ad Aegrorum levamen, uti opinor, ac Tyronum pertinent eruditionem, non veror nè istas in laude non ponas. Rei gratiam à me accipe, & me amore tuo adstringe. Vale.

IN-

INDEX

Consultationum.

Cons.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apostl.

T. Episcopus Heracleæ Vicesgerens.

APPROBATIONES.

CONsultationes Epistolares Medicas D. Antonii Hyacinthi Sanctangeli mihi Reverendissimo Patre Sac. Palat. Magistro jubente perlegi; quarè cum istæ nil contrà Fidem, & bonos Mores includant, sed Eruditionibus sint plenæ ipsasmet dignas in lucem edendas existimo. Romæ 5. Septembris 1718.

Cyriacus Severinus Medicinæ, & Philosophiæ Doctor.

DE mandato Reverendissimi Sac. Palatii Apostolici perlegi Consultationes Epistolares Medicas D. Antonii Hyacinthi S. Angeli Medicinæ, ac Philosophiæ Doctoris, & Sacræ Theologiæ Speculativæ Licentiati: Cumque in iisdem nihil contrà Fidem, aut quòd bonis moribus officiat, compertum habuerim: quinimmò easdem Medicinæ Professoribus perutiles futuras

CONSULTATIONES
EPISTOLARES MEDICÆ.

CONSULTATIO I.

Prò Comate Soporoſo.

TE, in afficiendo me laudibus, amoris fœdere, non ſententia, effuſum exiſtimo; plura equidem illiterato contribuis; dè Te autèm quid ſentiam, primùm à multis in Te laudibus agnovi, nùnc verò doctiſſima ſchedula tua teſtatur; undè ſi dicendi vìm haberem, & modeſtia illa tua, qua repugnans legeres, cœlaretur, vividis coloribus effigiem virtutis tuę depingerem, & ità locupletarem, ut nil eſſet præſtantius; voluntatem interìm meam adaugendi fortu-

nam tuam exoptantem æqui, bonique fac, atque precor. Spiritus, ſal, atq; ſulphur principia mixtorum activa, dùm in ſtatu volatilizationis exiſtunt, paſsivorum, Aquæ nempè, ac Terræ denſa mole diſcuſſa, maturitatem, optimam temperiem, formam, ſaporem, ac omnem perfectionem rebus inducunt; dùm verò in ſtatu fixationis morantur, confuſa ſcilicèt, depreſſa, & à particulis paſsivis obruta, intemperiem, immaturitatem torporem, ac deniquè omnem imperfectionem producunt: In humorali igitùr maſſa Patientis noſtri, in puerili ætate conſiſtentis, habitu pituitoſo, frigido, atque humido temperamento pollentis, aquæ frigidæ potionibus, ac indigeſtis cibis aſsiduè utentis, ſpiritus terreis, viſcidiſque particulis obumbrati, ſtupefacti, & præternaturalitèr in ſubſtantia cerebri contenti, per omne nervorum genus, oculorum præſertìm liberè irradiare nequeunt; undè profundus ſomnus, cum aliorum ſenſuum torpore, progeneratur; cumque excitetur æger, oculos aperiat, & reſpondeat, moxque iterùm in ſomnum prolabatur, progignitur, Coma, à quo ſoporoſo affectu eum libe-

liberandi, nè in Carum, Lethargum, aùt Apoplexiam fortem pertranseat, indicationes haberem, congestiones auferendi, humores volatiles reddendi, & caput corroborandi, prò quibus obtinendis Cornacchin. pulvere præmisso, vèl alio ex sena, rhabarb. & agaric. medicamine peracto, observandum àn vires missionem sanguinis ferant, quæ in vena brachii celebranda, & jugularibus in venis repetenda, si opus esset; interìm omnibus sensibus objecta vehementia exhibeantur; Aures igitùr strepitu, clamoribus, & sonitu concutiendæ; Naribus spirit. sal. armoniac., fuliginis, ruta, castor. cum aceto, & alia hujusmodi offerenda; Tactus vellicationibus, frictionibus, pilorum evulsionibus, ligaturis, & digitorum complicationibus exstimulandus; quibus non proficientibus vesicatoria, prçsertìm occipiti applicanda. Clysteres laxantes, & irritantes, Errhina, Sternutatoria, Aquæ Apoplecticæ, ut betonicæ, salvi. fœnicul. flor. laventul. cum spirit. sulphur. fuligin. sal. armoniac. & exteriùs Balsama Apoplectica usu recipiantur. Victus sit aromatizatus, & urgente morbo solis jusculis, & ovorum vitellis paratus. De-

bellato morbo, victus sit plenus; caveat à cibis frigidis, atque indigestis. Potus sit aqua ligni visci quercini. Bis, vèl semel in mense pilul.succin. Craton. vèl dè agaric. sumantur. Quæ pro hoc morbo habui, tibi, Vir optime, mitto, ut errata corrigas. Vale.

CONSULTATIO II.

Prò Comate Vigili.

SChedula transmissa tua, ità clarè, ac distinctè loquitur, ut facilè ad cognitionem,& curationem Morbi deveniam; undè in magna frequentia Consultationum, quas hinc, indè recipio, nulla est mihi istà jucundior, nulla carior; amo itaque te Mi N.N., & quoad vivam amabo. Toties animales spiritus perfectè operationes suas efficiunt, quoties liberi, & ab omnibus exosis particulis soluti persistunt; in nostro igitùr Patiente animales spiritus abundantes, & quodammodò exaltati,dùm,fibrarum extentione media, vigiliam, & vigorem omnibus corporis sensibus ad inducendum incumbunt, ità crassis, viscidisque particulis ob-

obruuntur, ut propensionem ad somnum, quem re vera minimè, sed potiùs delirium,& torporem sensibus inducant, undè Coma Vigil constituitur, quo Illustriss. Dominus sexdecim annorum, temperamenti calidi, & sicci detinetur. Prò curatione istius morbi, qui periculosus censendus, præsertim si magnum delirium, & tussis superveniat, indicationes erunt, congestiones auferendi, & caput corroborandi, prò quibus assequendis, aër purus eligatur, victus facilis concoctionis, Potus aqua hordei,& motus modicus extet; inedia, & summa repletio vetetur; Somnus vèl Amicorum colloquiis, vèl grata canendi arte, vèl blando aquarum murmure, vèl cunabulorum exagitatione conciliandus; Animi pathemata, præcipuè ira, fugienda, & lubrica servanda est Aluus:leniente itaque, vel clystere præmisso, & cum usus fuerit repetendo, missionem sanguinis bis, terque juberem: emulsiones seminum Melonum, decoctiones Pœoniæ, herbę Theę, vèl Lactuc. Pulver. succin. albi, vèl ocular. cancr. pp. Frontalia, Epithema, Lotiones, Balnea aquæ tepentis pedibus, & Cataplasmata lacte parata capiti, &

temporibus, sicut Theriacalia, Cephalica, atque Narcotica debita Methodo frequentarem; à Vesicatoriis omninò abhorrerem, nè dictos spiritus potiùs excitarem. Quæ innui, Virtuti tuæ subiicio, quæ decus, quod ipsam sequitur, ut umbra corpus, adaugebit, & quisquis es ab ipsa es, & ideò tantus, quia ipsa es, undè non intermittes esse, qui extitisti, dùm quæ Virtus donavit nunquam abripietur; sequere hanc ut soles, & laborum præmia tuorum assumes, vèl saltèm ipsummet Virtutis exercitium merces erit, de te inquam literæ loquentur. Vale.

CONSULTATIO III.

Prò Epilepsia.

TE in transmissa schedula ingenio, & doctrina præditum agnosco, dùm nulla in ea, aùt praxis, aut Theoriæ pars enervatur, & ejus excellentem virtutem aspiciens, admiror, & disco æmulari; itaque, nè posthàc, te oro, atque obsecro pubescens, & forè languidum in rebus tàm arduis, ac difficillimis, consilium meum

meum efflagites. Lauta alimenta, & alia in genere victus errata crassum, viscidumque chylum generavere, quo plùs quam par est in Ventriculo, & chyliferis ductibus stagnante, salis principium exaltatum est, hoc per vasa lactea sanguini effusum, & tandèm per arterias ad Cerebrum delatum, ejus membranas, & filamenta nervea irritans, atque pungens, vi, ut ità dicam, dictum Cerebrum cogit, ut succum nerveum, seù animalem spiritum irregularitèr universo corpori effundat; undè cum facultatum principum, & sensuum externorum læsione, præternaturales motus, & convulsiones totius nervosi ordinis exoriuntur, à quibus Epilepsia constituitur, quam, cum Patiens noster decimum quintum gerat annum, ad sanitatis metam perventuram existimo; in istius ergò præservativa curatione indicationes erunt, Ventriculum depurandi, irritationes auferendi, & viscera, præsertim caput, corroborandi, prò quibus obtinendis, leniente vèl cass. vèl ol. amygd. dulc. recent. & sinè ign. extract. vèl aliquo alio, naturæ Ægrotantis accommodo, cum Agarico, vèl pilul. Succin. Cratonis, præmisso: jus per de-

cem dies melifs. fumar. borragin. beton. radic. pœon. modico absynt. limatur. c.c. & feminibus citr. alteratum adhiberem; denuò prædicto leniente repetito, & cum necessitas immineat, præcipuè in qualibet declivitate Lunæ, repetendo, eodem alterato jure multo tempore utatur Ægrotus, cui tamèn vèl pulv. Cran. human. vèl Matr. perlar. vèl Succin. alb. vèl dè Gutteta cum Croc. Mart. aperi. præcedat; & tandem ad Asininum lac cum eisdem pulver. accederem. Victus sit mediocris, simplex, & facillimæ coctionis, & juscula extintione auri, vèl chalybis, & sal. absynt. parentur. Ab acidis impensè salsis, & vino abhorreat, sèd in istius loco Aqua Ligni Visc. Querc. ponatur, In Cutione coacta, præmisso clystere, sanguis extrahatur. Si Patiens sorbere queat, dictę pulveres, & Aquæ Antepilepticæ exhibeantur. Frictiones per universum corpus agantur; etsi opus sit, Vesicatorium sincipiti admoveatur. Hoc tenuitas mea præstare potuit, sèd Tù dè animo meo tibi suadebis id, omninò velle, ut emendationi tuæ subjaceat. Valè.

CON-

CONSULTATIO IV.

Prò Epilepsia.

GRande amoris argumentum ergà me inConsultatione transmissa tua conspicio,dùm dè Virtute mea maximoperè gratularis, & magna in me sperare patefacis; Quid? igitùr maximum Tibi suppeditare videtur, si me in Re Medica antecellere existimas? Ipse quo instanti me in lucem editum agnovi, bonos mores, non diù, sèd benè vivendi causa, ab immortali Deo deprecatus sum, hi si mihi acciderint, alia contemnam, aùt,ad virtutes, & laudes aditus facilè patefient, quos hùc usque, nescio qua causa, sors ferrea clausit; sèd mi Finucce cum Tua benignitate fruar quid optem? quid amicitia dulcius, quid utilius, cum diligamus invicem,& intèr Nos amoris, & officii bellum existit? Dicis enim Illustriss. Dominam, vigesimum primum ætatis suæ gerentem annum, Epilepsia discruciari. Prætèr sanguifera vasa, exiles glandulę, in vagina,seù collo uteri extant;istæ dùm Mulier,Virum cognoscit, salsuginosam

nosam lympham eructant, quæ suavitèr, ac blandè membranas provocans illius, dulcedinem tradit; In nostra igitùr Patiente cum dicta lympha foràs minimè ejiciatur, sèd diù in glandulis moretur, ejus sal ad fluorem evectum, & circulatione media, ad Cerebrum, & Cerebellum inductum, istorum membranas, seù filamenta nervea summoperè, & inordinatè exstimulat, undè cum ista convellantur, necesse est, ut etiàm nervi appensi, à quo inordinati, & involuntarii motus, strangulatio gulæ, cordis oppresio, difficilis respiratio, pulsus contractio, & alia hujusmodi symptomata emanant; at enim verò cum nervorum undulationes ad inferiores partes pellantur, nèc ad Cerebrum referantur, interni, & externi sensus amittuntur: Nèc in asignanda hujus morbi causa errare mihi videor, cum hominem non agnoscat, & antè insulturam, calorem, seù ardorem quemdam sentiat in parte. In Curatione præservativa istius affectionis, in paroxymo enim raró advocantur Medici, in quo Aquæ Antepilepticæ, ut Aqua Pœon. beton. adhibendæ, sicùt Naribus ol. Succinde Castor. admovendum, quibus vnctio-

nes in spina dorsi patrandæ, etsi opus esset, sanguis è pede extrahendus, Indicationes erunt humores edulcurandi, irritationes auferendi, & caput corroborandi, prò quibus adimplendis, primis viis aliquo benigno minorativo expiatis, ad jus per plures dies ex radic. Pœon. Lactuc. Portulac. alteratum, & frequentèr ad emulf. ex seminib. Agn. Cast. & Amygd. dulc. paratas, horis Medicis sumendas, venirem; dein leniente repetito, purgantibus abjectis, nè irritationes adaugeantur, Asinino uterer lactæ, cui bolus ex Cran. human. semin. Pœon. Succin. alb. pulver. & conserv. Beton. confectus præcedat, etsi necessitas urgeret, ad Aquę Nuceriæ internum, & externum usum accederem. Cum cibo, qui refrigerans, & humectans esse debet, vèl rasur. matr. perlar. vèl corall. rubr. assumat. Potus sit Aqua Lign. Visic. quercin. à Vino abhorreat. His non proficientibus, fac si possibile erit, ut nubat: Tù verò Valè, & animi in Me tui non immemor ero.

CON-

CONSULTATIO V.

Prò Catalepsi.

ETsi Medicorum genus aliquandò remediis non solùm naturæ diversis, sèd etiàm oppositis totam Ægrotantis ætatem discindit, dùm latitans in caligine verum intèr alienum discrimen requirit; Tibi tamèn Vir humanissime Medendi Ars latè patet, & ità, ut nullum ad me Tibi anteferre in hac pertineat; hæc est sententia mea, quam in dubium revocare minimè potes, dùm innumeri penè homines, ægrè languida membra ferentes, ad sanitatem adducti, & doctissima schedula tui transmissa testantur, in qua causam, Diagnoscim, Prognosim, & Curationem in Catalepsi habendam mirificè pandis; Mea tamèn fert Opinio, ab Aquoso, ac Terrestri Principio dominante, ità animales spiritus obruente, inficiente, & congelante, ortum habere, ut correpti eodem modo, quo comprehenduntur, remaneant, immoti, acsi congelati essent,& quò major est symptomatum intentio, eò periculum majus por-

portendit. Curationem duplicem instituerem, in Paroxismo unam, extrà Paroxismum alteram, indicatione habita, congestiones auferendi, & animales Spiritus volatiles reddendi, ut isti liberè fluant, & à musculorum motricibus fibris refluant: In Prima purgantia, vel ex Resin. Jalapp. vel Scammon. vel pulver. Cornac. & clysteres irritantes, præsertìm ex Aqua Rulandi, Vesicatoria, Spiritus, & Salia volatilia, Infusiones, & Aquas aromatizatas, Frictiones, vel Cucurbitulas siccas, Inunctiones, Sternutatoria, Errhina, & naturales Thermas, vel arte factas ponerem in usu. Si sanguis in quantitate peccaret, ab incisione venæ non abstinerem; In secunda aër eligendus est purus, ad calidum potiùs inclinans. Cibus boni succi, & facilis coctionis, & nonnihil aromatizatus, cum quo, vèl Pulv. Succin. alb. vèl radic. Pœon. vèl Mitrit. cum conserv. Beton: sumatur. Somnus vigiliæ, motus quieti respondeat; animi pathemata ab hilaritate prohibeantur; libera servanda est Alvus, immò qualibet decrescente Luna Pilul. Succin. Craton, cùm Electuari. Lenit. vèl hujusmodi antè Cœnam exhiberem, Potus sit

vi-

vinum oligophoros, vèl aqua ex Salvia, vel Coriandris. Vale, ego autèm valere non possum, magnitudinem tuarum virtutum in Oppido quasi Terrarum Orbis extremo latitare, conspiciens; atsi abire cogitas, uti precor, ut in Urbe verseris, ubi fructus, & laudes Tibi debitas recipias, quantum in me est, tuum esse firmitèr habe.

CONSULTATIO VI.

Prò Phrenitide.

MUlta profecta sunt à Tè in me officia, quæ me respondere incitant Tibi, primum, quod in summo beneficii loco ponendum, Te dè Parentibus meis honorificè loqui, & ità, ut nullam istorum quondam lætiorem amicitiam fuisse tibi confirmes, nullam dulciorem modô esse memoriam, deìn quod me puerum, virtutis inanem, atque tardiorem, quam par erat, Palladis Artibus servire incitasti, & tandèm, quod Ipse Vir doctissime, uti es, & omnium assensu Gentium existimaris, me Consultationibus tuis dignaris, quæ pergratæ sunt, & mirificè

rificè delectant: Dicis enim ex Phrenitide laborare Patientem nostrum, viginti quinque annorum, biliosi temperamenti, & cibis calidis utentem, prò cujus causa, Principium sulphureum, in Massa sanguinis exaltatum, accuso; Febris acuta, pulsus celer, oculorum rubedo, lacrymæ involuntariæ, sitis ardentissima, & lingua arida, ab isto prevenientia, testantur; quod circulatione media, ad cerebrum delatum, ibique suas colligens vires, animales spiritus alterat, qui tumultuariè, & inordinatè species impressas sensui communi ferentes, potentias internas pervertunt, undè imaginationis, & ratiocinationis errores emanant; cumque impetuosè, & inordinatè ad cæteras partes corporis effluant, inordinati, ac impetuosi motus, perversitates externorum sensuum, & vigiliæ producuntur. In curatione istius Affectionis, quæ lethalis, ut plurimùm esse solet, sèd cum juvenis sit, adhùc spes sanitatis habenda, indicationes erunt, dictum principium exaltatum, spirituum motum compescendi, & caput corroborandi; prò quibus obtinendis injecto clystere, &, cum opus fuerit, repetendo, Venæ sectionem

bra-

brachii celebrarem, qua non proficiente, adhibitis post aures, vel naribus, vel fronti hirudinibus, sanguis exugendus. Emulsiones semin. melon. papaver. & amygd. dulc. quibus opiata, ut laudan. liquid. & hujusmodi addenda; Lotiones pedum ex Aqua simplici, vèl Decoct. folior. Malv. Violar. Nymphex usurpentur. Odoramenta Aqu. flor. Violar. Rosar. linimenta ex ol. Violac. unguent. Popule. vel fomenta ex lacte muliebri, vèl aqua cum aceto rosac. fronti adhibeantur, & animalia tenella, ut Pulli Columbini, Gallinacei, & Catelli, mactata, & per spinam secta statim capiti admoveantur. Cum cibo, qui facillimæ coctionis esse debet, Pulver. oculor. Cancror. Perlar. Corallor. pp. cùm Spermat. Ceti, & Camphor. & post cænam Confect. hyacint. Diascord. Fracast. cum Laudan, Nepent. Quercetan. & Aqua Lactuc. Nymphex, Viol. &c. sumantur. Potus sit Aqua Hordei, & hujusmodi. Hæc pauca habui, & quemadmodùm dilexisti, me diligito. Valè.

※ ※ ※

Prè

CONSULTATIO VII.

Prò Mania.

ETsi mihi Excellentissime Domine amicam sortem prædicis, quod litterarum sagacitati, & benevolentiæ singulari ergà me tuæ donandum; attamèn plurimis adversitatibus, quas hisce pubescentibus annis subſtinui, ipsam fortunam contemnere addidici, quæ licèt omnia abripiat, nunquàm tamèn orbabit jis, quæ donare minimè potest, perfecta nempè ratione, integerrimis curis, amore ad Superos; hæc igitùr Vir sapiens amplectamur, ut rectum medendi finem obtineamus, Deo hujus falsi luminis usuræ argumenta solvere possimus, & tandèm ut facie, & assuetudine Cœli beatorum Civium fruamur. Ex Mania laborare Patientem nostrum, biliosi temperamenti, & cibis calidis assiduè vescentem in Consultatione transmissa tua conspicio, a spiritibus summoperè exaltatis oriente, qui hùc, illùc sinè lege, & impetuosè per cerebrum, & nervos appensos currentes, falsas ideas producunt,

undè deliratio,furor,& audacia resultat; sèd cum in massa sanguinis præternaturalis effervescentia haùd fiat, non exoritur Febris. In Curatione istius affectionis, quæ cum risu sit, ac in juvenili ætate, bonum omen habendum demonstrat, Indicationes erunt, spirituum exaltatorum principium compescendi, vèl, ut ità dicam,obruendi,& caput roborandi, prò quibus exequendis, præmisso aliquo purgante, & præsertìm ex hellebor.parato, ad missionem sanguinis, vèl in vena utriusque brachii,vèl Malleoli, vèl frontis, vèl narium, vèl hæmorrhoidum, vèl salvatellæ, ac repetendam si opus esset, sèd cautè, nè in Hydropem, aùt in peius incidat Æger, venirem; dein balnea Aquæ dulcis; juscula alterantia ex borragine, fumar.cichor. & conser. rosar. violar. lactuc. cucurbit. quibus benignum narcotic. cum camphor. addendum post cœnam, & emulsiones semin. melon. papaver. horis Medicis sumendas, somnifera externa in capite ex ol. rosac. violac. anethin. chamomillæ, & epithema ex aqua rosar. violar. sal.Saturn. vèl aceto, seù animalia tenella per medium secta, ponerem in usu. Victus sit frigidus,

&

& humectans, cum quo pulv. Succin. alb. pp. ſumatur. Aër temperatus, ad frigidum tamèn, & humidum vergens, à curis animus liber, & motus moderatus exiſtat. Valè.

CONSULTATIO VIII.

Prò Melancholia.

CUm me ad reſpondendum provoces, affirmantur judicia tua conſiliis meis; Tù enim hoc ſcribendi officio tàm excellis, ut vix dici poſſit; itaque noli ex otio tuo arguere meum, Tibi ſunt certæ copiæ, mihi autèm unicus proventus induſtria mea. Omnia uſque adhùc exercita, haùd inſipientèr abſoluta eſſe exiſtimo, in poſterùm cum Patiens noſter, habitu corporis pingui, frigidoque temperamento Melancholiam patiatur, ab aquoſo principio ortum trahentem, hoc enìm craſſis, viſcoſiſque ſuis particulis, ità animales ſpiritus obruit, ut Iſti per cerebrum, cerebellum, & nervos appenſos liberè non irradiantes, falſas ideas timoris, & mœſtitiæ ſenſui communi adducant, undè delirium exori-

tur, Indicatione haberem, nè in Apoplexiam, & alios incurabiles morbos Æger incurrat, congestiones auferendi, & caput firmandi, quæ, annuente Deo, & juvenili ætate sua concurrente, obtinerem, purgans medicamen ex infus. senæ, agaric. trochisc. & mann. elect. vèl ex pil. de agaric. cochiar. major. s. a. parat. præmittendo, & per plures dies jus ex salv. beton. majoran. semin. pœon. & aliis hujusmodi alteratum adhibendo; supradicto medicamine repetito, ius turrialis Columbæ dictis herbis alteratum, & pilul. succin. Craton. octavo quoque die antè cœnam cum electuar. lenitiv. sicùt horis Medicis potum caphea cum elix. propriet. Helmont. vèl cum ol. garyophyl. vèl cum extract. vèl conserv. juniper. & post cœnam, vèl conserv. beton. cum Mitrid. vèl Alkerm. vèl Theriac. cum Aqu. betonic. vèl salu. & Errhina ex fol. majoran. salu. beton. & bet. laudarem: quibus non proficientibus, vesicatorium posteriori capitis parti applicarem, & sedales venas hirudinibus aperirem. Jis spero forè Æger ad pristinum sanitatis statum, absque decoct. sudorifero, ut perveniat. In toto morbi decursu victus

sit

ſit optimi ſucci, & facillimæ concoctionis, & debitè aromatizatus, à frigidis abhorreat. Potus ſit Aqu. ſalſ.parill. vèl lign.viſc. quercin. Animus lætitia fuſus, quam Tibi Mi N. N. dè imo pectoris opto. Valè.

CONSULTATIO IX.

Prò Vertigine.

ETſi optimè calleas,mè cõtinuò ſummis occupationibus, angi; attamèn peragendum mihi eſſe putavi, ut aliquid litterarum officium tibi prorsùs donarem, ad me ſummoperè ſpectat, ut tù dè me benè meritus ſcias, qua te cura veneror, & quo tuorum in me beneficiorum memoriam cultu retineam,hoc,ut opto, diligentia tibi reſponſa jactandi, adipiſcar, par enim digna præmia referre tib nèc poſſum, nèc audeo. Salſum principium in humorali maſſa Patientis noſtri, ſicco bilioſo temperamento, conſiſtenti ætate pollentis, & cibis aromatizatis continuò utentis, exaltatum,& circulatione media ad cerebrum delatum nervorum opticorum principium irri-

 tando

tando corrugat, undè animales spiritus liberè irradiare nequeunt, sèd vi retrocedentes, & circularem motum adipiscentes, objectorum species impressas, & diversè refractas, quas naturali in statu ad sensorium communè rectè ducunt, circumagi repræsentant, hinc falsa circũgestationis immaginatio dimanat, à quo Vertigo constituitur; at enim verò cum animales spiritus per universum corpus corroborandi causa effluentes, quodammodò communi nervorum principio crispato, impediantur, lassitudo resultat. In Curatione istius affectionis, quæ in Caducam, Tenebricosam Vertiginem, Epilepsiam, Apoplexiam, & in alios penè incurabiles Morbos irruere potest, indicationes erunt; humorum massam edulcurandi, irritationes auferendi, & vires resarciendi, prò quibus consequendis, præmisso leniente ex Cassia, & seminibus citri correpta, Aquæ Nuceriæ, vèl hordei Oenophorum unum superbib. & alternative per plures vices repetendum, ad phlebotomiam in venis brachii celebrandam, & frontis repetendam, si necessitas urgeret, & ad jus alteratum ex cichore. borragin. lactuc. portulac. plan-

tagin.

tagin.& radic. pœoni advenirem, quod bolus ex pulver. ungul. alcis, oculor. cancror. matr. perlar. pp., & ſyr. dè papau. confectus anteeat. emulſ. ſemin. melon. & papau. vèl decoct. herbæ theę, vel ſal.parill. horis Medicis uſurpentur. Poſt cęnam conſerv. violar. vèl roſar. cum aqu.lactuc. vèl nympheæ ſumatur. Balnea aquæ dulcis, frictiones per univerſum corpus in uſu ſint. Victus ſit facilis coctionis, & humidus. A' vino ſtudio, nimio motu, vigiliis, animi pathematibus, cibis ſalitis, aromaticis, & acidis ſe abſtineat Æger. His Ægrotantem noſtrum, quem plurimum meo nomine ſalutabis ad priſtinam ſanitatem perventurum exiſtimo; Tù verò vale, & me ama.

CONSULTATIO X.

Prò Motibus Convulſivis.

LAudes, quas mihi in tranſmiſſa ſchedula miſiſti, te nimis munificum eſſe ergà me patefaciunt, quas ſi acciperem, aùt optarem, parva cunctis abundare modeſtia viderer; quis enim me in-

indoctior? Qui licèt diù, omnium magistra, Romæ fui, & excellentissimorum in Re Medica Doctorum disciplina, & consuetudine usus, ab jis nihil adhùc, ob ingenii mei tenuitatem, eripui; itaque cum veritas anteferenda, ipsasmet tibi Medicinæ studiis erudito, atque fundato remitto, & ut eas Vir dignissime recipias, te iterùm, iterùmque obtestor. Nostri corporis motus tùnc perfectè, ac ordinatè peraguntur cum succus nerveus dulcis, & balsamicus effluat; atsi isti salsum principium pungens, atque irritans addatur, spirituum omnis pervertitur ordo, undè inordinati, & convulsivi motus exoriuntur; In nostro igitùr Patiente corticalibus cerebri glandulis, quibus succus nerveus elaboratur, nimio labore, ac studiorum amore laxatis, prædictum principium non per propria emunctoria eliminatur, sèd cum succo nerveo, ad substantiam, & cerebri fibras, & tandèm ad nervos appensos immittitur; hinc irritatione ab illo facta, plùs justo, & absque voluntatis imperio, succo nerveo excurrente, involuntarii, & convulsivi motus, in extremitatibus præsertim habentur, & cum in corpore nostro consen-

sententia sint omnia, tardo humorum effluvio conveniente, & pectoris, & cordis, & arteriarum, atque aliarum fibrosarum partium constrictiones emanant; Indicationes igitùr curativæ erunt, dictum principium eliminandi, humoralem massam dulcem, atque volatilem reddendi, & caput roborandi; prò lenienda alvo, & irritationibus auferendis, validioribus spretis, nè in lugubres morbos irruat Æger, Ol. amygd. dulc. recent. & sinè igne extract. frequentèr utatur, quod vèl antè cœnam, vel manè cum jure simplici sumendum; dein hyemali tempore confluente, quo excretiones facilè per urinarias vias fieri solent. ad Syrup. de terebinth. & jus graminmalv. apio alteratum longo tempore advenirem, succedat huic jusculum parvæ pullæ, hordeo germanico repletæ, ac betonic. salv. & gramin. alteratum; præcedat tamèn bolus ex Cran. human. Matr. perlar. Succin. alb. Cryftall. Montr. pp. confectus; Capheæ potu sæpissimè utatur; & tandèm Verno tempore lactis asinæ, cum eodem bolo, in usum deveniat. A' Vino abhorreat, & aquam Lign. Visc. Quercin. miris laudibus tollo. Victus

ctus sit facillimæ coctionis, acida, acria, & salsa cibaria vetentur. His Ægrotum ad pristinæ sanitatis gradum adventurum judico. Tù vero Mi N. N. valè; etsi in tuendo amicitiæ vinculo hucusque socors extiti, amor ergà me tuus, te minimè fallet.

CONSULTATIO XI.

Prò Incubo.

CUm primum Domum redivi, etsi fessus eram labore, quem continuò in Urbe sustineo, & capitis dolore, qui me satis gravitèr anxit, non dùm penè levatus; attamèn inalterabilis observantia in te mea, & magnitudo benevolentiæ ergà me tuæ, qua, eo instanti, quo janua ad amicitiam tuam reclusa fuit, dè meis laudibus, & commodis agere incæpisti, omninò efflagitavere, ut sanitatem tuam maximi esse, & fore mihi demonstrem, quod ea diligentia, quæ in me est consilia medica dandi, ut spero, assequar. Ex Incubo laboras mi N. N. à salis principio summè exaltato provenientc, quod nervos, ad regionem pe-
ctoris

ctoris tendentes, par vagum præſertìm, irritans, & per conſequentiam convellens, concurrente humorum præpedita circulatione, thoracis oppreſſio; cumque pulmones liberè non dilatentur, difficilis reſpiratio reſultat; hìnc ſpecies cum ad imaginativam eodem modo, quo ſenſus afficiuntur, nervorum media undulatione, referantur, quaſi manum fortitèr comprimentem repræſentant, at ſuffocationis metu, alta ſuſpiria proicis: Ab hoc igitùr morbo te, ſalitis, atque aromaticis cibis utentem, calidum temperamentum, ac trigeſimum ætatis annum gerentem, liberandi cauſa, qui ad incurabiles pectoris affectiones, immò, ſumma convulſione peracta, in Animæ exhalationem labi potes, Medicas indicationes haberem, humorum maſſam edulcurandi, irritationes auferendi, & partem affectam firmandi; prò quibus obtinendis, leniente ex Caſs. vèl ol. amygd. dulc. præmiſſo, ad miſſionem ſanguinis venirem, quæ, cum opus fuerit, repetenda, dein ad aſininum lac, cum ſyrup. violar. per longum tempus ſumendum, accederem, quo non proficiente, jus paruæ pullæ limatur. corn. cerv.

radic.

radic. altheæ, liquirit. fol. pulmonar. & aliis hujusmodi alteratum, sicùt emulsion.semin.melon. vèl amygd. dulc. conserv. violar. vèl rosar. pulver. oculor. cancr. matr. perlar. succin. alb. pp. fomenta anodyna, vèl balnea aquæ dulcis, ponerem in usu: at enim verò temporibus Verni currentibus, quibus natura per Diaphoresim Sales sylvestres eliminare, vèl tendere solet, Diaphoretica æquis laudibus laudare me fallit. Jis animi quies, potus, victus refrigerans, & humectans, si adjungatur, spero fore brevi tempore ut conualeas. Faxit Deus. Valè.

CONSULTATIO XII.

Prò Hemicrania.

COnsultationem tuam evolvo, in praxi fundatam, judicio erectam, aphorismis corroboratam, & verbis mirificè collustratam, & ità, ut præstantissimorum virorum numero adjungi promereris, quo nomine, Tibi, Parentibus, Patriæ, Amicisq; tuis, magnoperè gratulor, ad quos decus revehis, cunctis divitiis, omnium-

niumque Principum pompis anteferendum. Humani corporis fluida dùm liberè per vasa fluunt, & refluunt, excrementitiæ, siuè salium particulæ, vel per sensilem, aùt insensilem transpirationem, vel per alia emunctoria eliminantur, vèl inconspicuæ redduntur, & homo in sanitate perfecta constituitur, atsi horum, licèt minima, particula coacervetur, febres, dolores, tumores, & alii hujusmodi morbi exoriuntur; in nostro igitùr Patiente seri, ab australi spiritu, coagulandi vi pollente, in itinere sublato, stagnatione peracta, salsæ particulæ exaltatæ fuere, hę nervorum filamenta, quibus membranæ cerebri contexuntur, irritantes, atque pungentes, tristem molestumque sensum progignunt, à quo dolor emanat, qui cum in dextera tantùm parte capitis persistat, Hemicrania dicendus. In curatione istius morbi, qui licèt coma vigil, Epilepsiam, Vertiginem, Phrenitidem, Maniam, & alios cephalicos morbos inducere possit, attamèn cum in Illustrissimo, & Excellentissimo Domino primæus flos juventæ, corporis economia vigescant, Febris non imnineat, & materia delinquens parva, licet

licèt activa, moretur, posperrimus limes optandus, indicationes erunt, universam humorum massam emundandi, morbificam materiam , in parte collectam dejiciendi, & vexatam partem firmandi, prò quibus attingendis, remedia hactenùs, licèt incassum, debita quidèm methodo administrata fuerunt, deinceps præmisso leniente ex electuario lenitiv. & pilul. succin. Craton. vèl cochiar.cum agaric. venæ sectio in pede celebranda, cui, si necessitas urgeat, cucurbitularum in scapulis scarificatio succedat, & tandèm hirudines propè aures, aùt vesicatorium cervici admoveantur, & emulsion. amygd. dulci. & semin. papaver. vèl ius sonc. lactuc. viol. limatur. corn. cerv. cancr. fluviatil. & aliis hujusmodi, alteratum adhibeantur. Balnea aquę dulcis pedibus, frictiones per universum corpus, masticatoria conserv. rosar. & sale prunell. localia lacte, vel aqua nymphex, violar. lactuc. parata, convenient. Clystęribus lubrica servanda est alvus. Temporibus Verni nascentibus, ad asininum, vèl vaccinum lac perveniirem. Victus sit facilis coctionis, & humectans, cui vèl gelatina corn. cerv. vèl

pulv.

pulv. matr. perlar. pp. præcedat. Post cænam bolus, ex confection. hyacinth. vèl mitrid. & conser. rosar. vèl philon. roman. cum aqua Violar. vèl Lactuc. vèl Nympheæ, propinetur Ægroto. Potus sit aqu. hordei, & tandèm aqua lign. visc. quercin. sit in usu. Perge ad Virtutem Mi amantissime, & cum amore Dei conjuncta sit ista, nèc imitaberis eos, qui ficto rerum aspectu delusi, obnixè ad æquanda ea contendunt, quæ dura, immò damnosa, ut plurimùm tenentibus esse solent. Vale.

CONSULTATIO XIII.

Prò Paralysi.

AD imbecillitatem totius corporis, & capitis dolores, quos diuturno studio, atque laboribus tolero, accessit hodiè vesperi molestus ventriculi dolor, periculi tamèn exsors, ut egomet opinor, attamèn nè exacerbetur, cogor brevitèr respondere Consultationibus tuis doctissimè, atque humanissimè scriptis. Paralysi totius dextræ partis detinetur Illustrissimus Dominus, ut ex signis, quæ

in

in transmissa schedula sunt, evidentèr apparet. Ex incongrua victus ratione, habitu corporis pingui, & humido, immoderato veneris usu, animi pathematibus, & ad literarum studium totius mentis, & virium labore, salsum principium in humorali massa dominatum acquisivit, ex quo irritante, atque coagulante varii tumores, atque dolores in diversis corporis partibus manaverunt; tandem peracto in capite, præcipuè in corticali dexteræ partis crassæ, & viscidę materiæ decubitu, & prohibito ad musculos, & nervos appensos spirituum animaliũ influxu, sensus, & motus privatio exorta est, prò qua debellanda Indicationes Medicæ insurgunt, sanguinem, & alios humores depurgandi, coagulationes auferendi, & partes firmandi, prò quibus attingendis, quæ hactenùs patrata sunt, purgationes nempè, & sanguinis missiones æquis laudibus laudare me fugit, deincèps in usu sit per xv., vèl xx. dies jus parvæ pullæ betonic. chamomill. lili. convall. salvi. paralys. & aliis hujusmodi alteratum, cum quo aliquæ guct. elixir propriet. Helmont. vèl spirit. c. c. vèl fuligin. vèl sal. armoniac. sumentur;

tan.

tandèm ad decoct. Viper. per xxx., vèl xxxx. dies, & prædictis herbis alteratum, accederem, cui, & cibo antimon. diaphoret. vèl bezoar. occident. vel sanguin. hircin. vèl pulver. c.c.usti, vèl rasur. matr. perlar. cum succin. alb. pp. præmitterem. Pars affecta vèl ol. amygd. dulc. camphor. vèl ol. vulpin. vèl viper. cùm spirit. sal. armoniac. vel aqu. ardent. camphor. inungatur. Si opus erit, electuar. lenit. & pilul. succin. Craton. vèl cochiar. cum agaric. vèl elysteribus leniatur alvus. Victus tenuis sit, atque exquisitus, à vino abhorreat, si possibile fuerit, cujus in loco aqua lign. visc. quercin. vèl salsi. parill. vèl flor. tiliæ, ponatur. His non arridentibus, ad Balnea sicca, vèl ad Thermas nitrosas, sulphureas, atque bituminosas confugerem: Tù verò mi N.N. etsi dè ægritudine Fratris tui jactaris variè tamquàm fluctibus, modò metu, modò spe, in his tamèn cogitationibus animus tuus quiescat, & quietem aliquam recipiat, videndo nempè eum viribus, ætateq; florentem, confluentibus simùl bonis anni temporibus, assidua Medicorum cura, atque diligentia, Patientis summa continentia, & obedientia,

C qui-

quibus faventibus, brevi ſpero ut convaleſcat; faxit Deus, à quo unico fonte omnis n..ſtra fortitudo, omniſque ſanitas emanat: valetudinem tuam cura diligentèr. Valè.

CONSULTATIO XIV.

Prò Apoplexia.

ETſi Eminentiſſime Domine, quod mihi proponis triſtis res, ardua, & operoſa perſitat, attamèn cum nobilitati, atque honori obedientia debeatur, omnibus mentis viribus, licèt gracillimæ reſpondere conabor; Tù enim clariſſimo genere natus, à CLEMENTE XI., divinitùs dato, Cardinalis creatus, ut à Te Heroum numerus augeatur, in pueritia ſtudio virtutis, pudoris, & excellenti cupiditate honeſtarum artium accenſus, in adoleſcentia indole abundans, moribus, ingenio, & perfecta ratione fuiſti; Cardinalis es, & in dignitatem, quam ſubſtines omne virtutum genus, Tecum ortum, & creſcens prolabitur, & ità, ut ipſa potiùs ornetur, quàm ornet; en Eminentiſſime Corradine campus, in quo benifi-

benificentiam exerces, in quo nihil agis, niſi decus eluceat. Apoplecticus furere incæpit morbus, & inſultat familiaritèr in omnes, & ſinè diſcrimine, qui antè vel rarò repebat, vèl nullum attingebat, undè nobiliſſimam Urbem, ferè quotidiano deformat mortuorum aſpectu. Magna fuit, atque etiàm nùnc eſt intèr Medicos in aſſignanda iſtius Morbi primaria cauſa, controverſia; cum Alii cognitionem rerum ità amplexentur ut ſanguinem, Alii lympham, Alii ſpiritus torpidos, vèl craſſos, vèl iſtorum inanitionem, Alii nervorum convlſionem accuſent, & sic prò diverſo corporum temperamento diversè verba depromunt; hoc diſcrimen, in quo prò ſenſu iſtorum valdè ambiguum fluctuat, verum, abripere opinor ſulphureum, atque ſalſum principium, à tot ſpelæis, Terræ hiatibus à Terræmotu ſuperioribus annis ingenti fragore apertis, à paludibus, Civitatis luto, & à carbonibus non benè candentibus exalans, eſſe conſtituendo, quod, reſpiratione media, in ſanguinis maſſam delatum humoribus coagulationem inducit, à qua ſpirituum motum per univerſum corpus præpedito, dictus mor-

bus emanat; illud principium à nimio fructuum immaturorum, aquæ, atque aliorum frigidorum usu, & ab otio, per hæc enim fibris ventriculi cordis, arteriarum, & omni nervorum ordine lacessitis, langida humorum propulsio, stagni capax, resultat, ab aqua vitæ, & aliorum hujusmodi potione, animi pathematibus, nimio labore, dieta, & vigilia, quę volatiles, & balsamicas particulas, crassioribus relictis, resolunt, à cibis indigestis, acidis, & impensè salsis, à quibus tardum, viscidumque alimentum proficiscitur, & præsertìm à lue gallica suas colligit vires. In curatione istius Affectionis (Divino sene annuente) solvere Apoplexiam fortem impossibile, Scammoneata, sanguinis missiones, vesicatoria, sensibus objectorum vehementium oblatio, clysteres laxantes, & irritantes, Pulveres, Aquæ, Olea, Spiritus, & alia incassum adhibentur remedia. Ad præservativam igitùr totus intendendus est animus, lubrica servanda est alvus, nè cruditates in ventriculo nascantur, etsi naturalitèer minimè contingat, benigni clysteres injiciendi, vèl istorum in loco Cassia, vèl electuarium
leni-

lenitium, vèl diatartarum, vèl singul[i]
quoque manè cyathus aquæ calidæ, vèl
juris insulti, quo antiquitùs utebantur
Romani, vèl decocti herbæ Tieę, vèl
Caffeæ, nimio compositarum, & calidarum
potionum usu in malam rem abjecto,
ponenda erunt. Victus sit facilis coctionis,
simplex non aromatizatus, vigilia,
motus, vini potus, & operationes
omnes temperatæ sint; Ad aërem matutinum,
& vespertinum haùd exponenda
sunt corpora, in illo particulas humidas,
& viscidas sibi *Sol* non adduxit, nequè
dispersit, in isto, deficiente Sole, adaugentur.
Prunæ in cubiculo benè ignitæ,
& ligno aloës, vel baccis juniperi aspersæ
ponantur, & tandèm Venereæ
mulieres cane peius, & angue fugiendę.
Vale, & vive quàm diù Eminentissime,
cui respondere officiis quamquàm me
lateat, perpetuo tamèn, & singulari
observantiæ munere, ut cupio, satisfaciam.

※ ※ ※

CONSULTATIO XV.

Prò Catarrho cum Tussi.

UNum, idemque Epistolium plagam, & valetudinem affert; undè hoc mihi Achillis hasta, dè qua à Poëtis traditur, esse videtur, nèc sinè re, afficit me gravitèr Illustrissimum, & Excellentissimum Dominum, in quo integritas vitæ, humanitas, & munificentia elucent, in miserabilem ægritudinis statum prolapsum esse, ut maligna febri jàm jàm occumbere morti videretur, nùnc idem me sublevat, & omnem timorem abstergit, incolumem ex illa receptum esse demonstrans, quo magnoperè gaudeo, & ità, ut nihil hisce deliciis suavius hucusque perciperim; Tussis, & Catarrhi molestia quam primum spero fore ut evanescat, prçsertim si Tù Vir in primis erudite, & rem medicam perfectè callens diligentiam tuam, ut oro, adhibebis. Aqueis humoribus postquàm & chylum, & sanguinem, & succum nerveum fluidum reddendi, atque solidis partibus humidum subministrandi, nè nimio

motu

motu conculcarentur, utens natura fuit, ſuperemineentes, & ſubtiliores vèl ſub urinæ, vèl ſudoris, viſcidiores verò catarrhi ejicit forma: in noſtro igitùr Patiente ſanguinei temperamenti, & vigeſimum quintum ætatis ſuæ gerente annum, particulis ſulphureis, à quibus maligna febris generabatur, lymphæ ſubtiliori media parte, per cutaneas glandulas eliminatis, craſſior tùm ad ſalivales, tùmque ad pulmonales glandulas delata, ibiq; ſecreta catarrhū, & cum iſte ſalſo abundet, membranas pulmonum extimulans, Tuſſim producit; à quibus Ægrotum omnimodè liberandi cauſa, nè in Phthiſim, & alios thoracis morbos incurrat, Indicationes erunt, humores omnes, præſertim lymphaticos edulcurandi, extravaſa expurgandi pulmonum compagem firmandi, ac leniendi; prò quibus impetrandis, ol. amygd. dulc. & man. elect. cum decoct. pectorali lenita alvo; ad jus ex hedera terreſtr. tuſſilagin. capill. vener. pulm. alteratum, multis dieb. ſumendum advenirē, cui ſulphuris butyrum prȩcedat, quo non arridente, ad aſininum, vel caprinum lac pervenirem; interim anacatharſim adjuvandi,

lambitiva ex ol. amygd. dulc. ſyr. viol. dè pomis, fomenta ex malv. viol. radic. althe. flor. ſambuc. & unctiones ex ol. amygd. dulc. vèl ſemin. lin. ſperm. Cet. & camphor. parata admoveantur; deinde jus parvę pullæ, & pectoralibus herbis alteratum in uſu ponatur: clyſteribus, vèl ol. amygd. dulc. lubrica ſervanda eſt alvus; ſi neceſſitas immineret, ſanguis vel à ſcapulis, vèl ab hæmorrhoidibus extrahendus. Hæc, & victus regimen prudentiſſimæ virtuti tuæ ſubmitto, dè qua etiàm, atque etiàm Tibi gratulor. Vale.

CONSULTATIO XVI.

Prò Suffuſione.

DOctiſſimæ Conſultationes tuæ ad me tranſmiſſæ procurant, ut mentem, quam tot, rantiſque muneribus debere profiteor, omninò eam Tibi pręſtem, præſtare autèm minimè poſſum, niſi literarum officiis, quæ cum ad Te colendum attineant, ſtudioſiſſimè agam, etſi aliquid omittam intelligens, gravitèr me erraſſe arbitrabor. In admirabili humani corporis machina & ſolida, & flui-

da

da sistunt, solida ut fluidorum genus debito modu recipiant, & benè comminuant, fluida ut justè solidis, fluidisque ministrent, quo non obtento, vitiantur actiones. In nostro igitùr Patiente minima oculorum compage nimio scribendi usu laxata, aqueus humor plùs quam par est humori aqueo occurrens, & ob crassitudinem à salibus coagulantibus exortam ejus pelluciditatem abripiens, & refractionem, & rectum luminis transitum impediens, continuò visionem tollit, vndè suffusio progeneratur, à qua admodùm Reverendum Dominum liberandi, licèt difficillimum sit, cùm ad ætatem senilem inclinet, medicæ indicationes erunt, inquinamenta salsa, humorum influxum auferendi, & partem corroborandi, prò quibus obtinendis, pilul. Succin. Cratonis, vèl dè agaric. cùm electuar. lenit. semel, vèl bis in mense repetendis, primarum viarum expiatione peracta; ad jus turrialis Columbæ salſ. parill. elect. salv. betonic. & radic. pœon. alteratum per xxx. vèl xxxx. dies pervenirem; dein longo tempore potione capheę cùm salv. uterer; frequentèr Emulsion. semin. Melon. vèl amygd. dulc. horis medicis sumendę usur-
pen-

pentur; & tandèm vesicatorium, & causticum posteriori cervicis parti admoveatur. Cùm cibo, qui facilis coctionis esse debet, rasur. Corn. Cerv. vèl Matr. perlar. vèl ocul. cancr. pp. sumat; ab acidis, austeris, salsis, piperatis, & oleosis condimentis, à curis, & studio abhorreat. Potus sit Aqua lign. visc. quercin. & oculos vèl urina pueri, vèl aqua fœniculi, Euphra. & Chelidon. cùm infusione tutiæ sæpissimè abstergat. Tù verò valè, & Patienti nostro salutem.

CONSULTATIO XVII.

Prò Asthmate.

CONsultatione transmissa nihil adhùc legi purius, nil doctius, dùm ab ea vir excellens novum scribendi genus, & nova medendi effluit industria; quamobrem magnam ad rem medicam accessionem te facere agnosco, ex quo voluptatem capio tantam, quantam, vèl Pater, vèl peramans tui capere potest, veruntamèn cùm mea in animo summo respondendi facultas prorsùs deficiat, ità internis sensibus angor, ut injucundè vitales

tales auras carpam; sèd minimè diffido fore, ut amor ergà me tuus humillimam responsionem meam non despiciat. Quantum lubricam habere alvum humano generi prodest, neminem, licèt in Medicina excellentissimum, posse dicere, arbitror, hoc enìm amiso, Hippocrate innuente, omnium confusio dimanat: In nostro igitùr Patiente ob ventris signitiem crassæ, sivè terreæ particulæ per vasa lactea, nèc non circulatione sanguinis ad Mesenterii glandulas delatæ, ibiquè stagnantes salsum principium acquisivere, quod summoperè activum, extremitates nervorum, qui per universam imi ventris regionem insurgunt, irritans, continuam contractionem mesenterii, hypochondriorum, septi transversi, musculorum intercostalium, & pulmonum progenerat, hac convulsione peracta, pulmones cum non liberè ad recipiendum aërem expandi nequeant, difficilis inspiratio, cùm angore coniuncta resultat, cumque proprio pondere ad expellendum aërem non prolabantur, tenui humore aqueo concurrente, à lymphaticis ductibus in vesiculas eorumdem eructato; expiratio ardua, cùm sibilo promanat,

manat, ex quibus convulsivum Asthma constituitur, quod licèt diuturnus sit affectus, & curatu difficillimus; attamèn cùm Illustrissimus Dominus sit infans, exoptanda est salus; ad maturè itaque curandum, nè, catarrho superveniente, suffocetur, indicationes haberem, congestiones, irritationesque auferendi, atque humorum massam purificandi, prò quibus explendis, lubrica servetur alvus, vèl Clysteribus emollientibus, vèl cass. vèl electuar. lenit. vèl diatart. vèl ol. amygd. dulc. recent. & sinè ign. extract. & hoc pluriès, præsertim manè, repetendum, cui jus cichor. absynt. tussilag. heder. terrestr. alteratum succedat, dein ad syr. dè cichor. composit. cùm eodem alterato jure, accederem; adveniente vere, serum caprille, in quo per noctem coma absynt. infusum sit, in usu ponatur; opportunis temporibus villenses aquæ miris laudibus tollendæ; interim lambitivis ex ol. amygd. dulc. & sacchar. vèl syr. dè althe. vèl heder. terrestr. confectis frequentèr utatur. Balneum aquæ dulcis hypochondriorum tenùs, sicùt inunctiones ol. amygd. dulc. vèl unguent. dè althe. in thorace patrentur; sèd nihil aget,

nisi

nisi his omnibus optima, & ordinata victus ratio jungatur; Alimentum igitùr ex carn. parvæ pullæ, vèl Vitulæ Montane, & ex sorbilibus ovis paretur, parca sit cœna, & vinum chalybeatum. Tù verò vir optimè valè, & Patientem nostrum plurimùm meo nomine salvere Te deprecor.

CONSULTATIO XVIII.

Prò Pleuritide.

JAm Romæ dè Ægritudine N. N., in quo ad exemplum Avorum suorum non obscura, sèd clarissima virtutis signa lucescunt dissipatus sermo erat, quo mens percussa pavebat, nùnc verò à transmissa schedula tua certior factus incredibiliter angor; itàque Vir Arte Medica instructissime, usuque peritissime, ut vires animi recipiam, & ab omni pavore, & anxietate respirem, prò sanitate istius, cujus amore valdè afficior, in omnes diligentias, & studia te conferto, quod si agas, ut spero, non dubito quin Æger noster juvenis adhùc ad corporis optas vires perveniat. Continua Febri plurimis diebus

Pa-

Patiens noster laboravit, à salsis particulis, in massa sanguinis luxuriantibus, orta, quarum aliqua portio, circulatione humorum media, in venis pleuræ stagnans Pleuritidem genuit; pungitivus dolor, à sale membranam irritante resultans, & ad jugulum per consensum se protrahens, difficilis respiratio, à contractione ejusdem membranæ, à qua libera thoracis expansio impeditur, pulsus durus, & serratilis, à communicata membranis arteriarum contractione, frequens, & molestissima tussis, à salso ichore, vi expresso à pleuræ vasculis, & per contactum membranosas pulmonum partes irritante, oboriens, hunc esse morbum affirmat. In curatione istius acutæ affectionis, indicationes erunt, humorum massam edulcurandi, congestiones auferendi, & partem firmandi, prò quibus obtinendis, si venæ sectio usque adhùc celebrata non sit, præmisso clystere, in vena brachii celebretur, & cum necessitas urgeat, præsertìm cum subjectum temperamento sanguineo præditum sit, sicùt etiàm per cucurbitulas scarificatas in scapulis, repetenda. Manè jure ex fonc. limatur. corn. cerv. florib.

pa-

papav. rhæad. & semin. citr. alterato utetur; cui tamèn bolus ex sanguin. hircin. bezoar. occident. sperm. cet. camphor. & syr. viol. confectus præcedat. In parte fotus ex fol. malv. viol. pariet. sem. lin flor. sambuc. chamomill. confectus agentur, quibus linimentum ex ol. lilior. alb. amygd. dulc. semin. lin. butyr. spermat. cet. & aliis hujsmodi paratum succedat. Expectorantia, ut syr. viol. dè liquirit. syr. tamèn myrt. temparata, nè Diarrhæa superveniat, morbo ad suppurationem vergente, sicùt in toto morbi decursu, ut aër modificetur, & leniat, ponantur in usu. Crisi per anacatharsim patrata, quæ per alias vias, uti diureticas, & diaphoreticas, quo in casu medicamina propria ministranda essent, difficultèr evenire potest, ad jus ex heder. terrestr. tussilagin. hyperic. scord. consolid. major. alterat. & purgationem advenirem. Victus sit facilis coctionis, & acida, & salsa cibaria prohibeantur. Potus sit decoctum hordei, vèl liquiritiæ. Quæ currenti calamo, & in domicilio meo, antè Solis ortum, præscripsi, prudenti judicio tuo substerno; interim vale mi Dictor, & Ægrotum, & alios amicos nostros meis verbis plurimùm salutabis. CON-

CONSULTATIO XIX.

Prò Peripneumonia.

ET theoriam, & praxim meam in transmissa schedula tua miris laudibus tollis; ego commendari à commendato Viro etsi duco, attamèn hæc, quæ mihi largiris esse vera non confiteor, sèd Te in Re Medica ingenio, doctrina, atque etiàm exercitatione excellere, à cunctis peraudiens, maximoperè gratulor; itaque si vera existimas, immuta opinionem dè me tuam, florescit in Te Medicina, ego jaceo, Te dignum dare, non recipere consilium affirmo; at enim verò cum literarum officium minimè denegandum, præsertim iis, quibus amore, & famulatu obnexi sumus, hæc pauca dicere audeo, atque, Tabellario expectante, festinus. Ex solido, & fluido totam humani corporis machinam constare omnes affirmant, cumque alterum alteri respondeat, perfectè operationes omnes patrantur, & homo vitales auras carpit; atsi fluidum solido non ministret, & è contrà, corpus languore, & sinè viribus

bus

bus jacet; In nobilissimo igitur Patiente nostro pulmonialium fibris venarum nimio equorum usu laxatis, undè fibroso motu fluentem sanguinem minimè revehentibus, istius congestio peracta fuit, in qua sulphureis particulis præternaturalitèr exaltatis, & effervescentibus præternaturalis calor in parte primo emanavit, à quo inflammatio ejusdem dependet, dein sanguineæ massæ collato, febris, & alia symptomata, quæ huic solent esse conjuncta, & à Te diligentèr explicata emersere; obtusus, & gravativus dolor, & tussis, ab irritantibus salsis ichoribus pulmonum membranas, difficilis respiratio, à convulsione earumdem membranarum, liberam pulmonum expansionem, & compressionem impediente, proveniens, Peripneumoniam, ut ipse dicis, comprobat esse, prò cujus curatione indicationes erunt, congestiones auferendi, sanguinis massam edulcurandi, & partem affectam leniendi, & corroborandi, prò quibus impetrandis, missionem sanguinis celebratam summoperè laudo, quæ pluries repetenda, etiàm in hæmorroidibus, & scapulis, præsertim cum Patiens noster temperamento san-

guineo, & juvenilibus annis vigescat, in quibus spes sanitatis elucet; manè alterato jure ex heder. terrestr. sonc. limatur. corn. cerv. tussilagin.& seminib.citr. utetur, cui bolus ex corn. cerv. philosophic. bezoar. sanguin. hircin. confectus præcedat; morbo ad suppurationem,quæ per anacatharsim, tamquàm per tutiorem viam expurganda, vèl ad diuresim vergente, medicamina propria adhibebis, lambitiva ex syrup. violac. liquirit. dè hysopo, heder. terrestr. fotus ex fol. violar. malv. & unctiones ex ol. viol. sem. cucurbit. vèl lin. parentur. A'vino, acidis, & salsis cibariis abhorreat. Potus sit aqua hordei, vèl liquiritiæ. Vale, & Ægrotanti meis verbis salutem.

CONSULTATIO XX.

Prò Empyemate.

ME prorsùs ab ea tristitia, qua me Excellentissimi Domini ægritudo affecerat, ad gaudium incredibile revocavit schedula tua; à pleuritide enim jam jam liberatum esse scribebas, nùnc verò percutis me graviter onerosus iste nun-

nuntius, in peius prolapsum esse testificans; undè Vir doctissime prò eo, quo te sum amplexus amore, multis nominibus ei pristinæ sanitatis reddere gradum te deprecor; primùm quod ipse, quem sanare studes, mirabilis naturæ adolescens, virtutibus decoratus, doctior ergò, quam ætati convenit, servitutem tuam facilè illustrabit; dein quod ab ejus Parentibus, notissimis Equitibus, quorum in Urbe vèl sapientiæ, vèl solertiæ, vèl munificentiæ, vèl omnis denique virtutum generis, quod nobilem Familiam haùd dedecet, clarius nullum habetur exemplar, uberrimum laboris tui fructum recipies; & tandèm, quod in ea domo versaris, cujus tutela nullum, ad eas tempestates ævi, quæ fluenti imminent vitæ, certiorem portum invenies. Sal, atque sulphur, ut in alia mea præscripsi in pleura humorum stagnationem patrarunt, hæc, facto abscessu, cum per anacatharsim non perfectè expurgata sint, sèd in thoracis cavitatem effusa, manifestissimum empyema constituere; febris intentior, à majori dicti salis, ac sulphuris reassumptione, pondus, & sensus gravitatis in parte, prçsertim dùm in aliud la-

tus se confert, ab ipsa materia præmente, & porositatē pulmonū opplente, ac difficilis respiratio, ab expansione eorumdem pulmonum impedita, proveniens hoc idē testificatur; prò quo oppugnando, Medicæ indicationes erunt, congestiones auferendi, sanguinis massam edulcurandi, & partem firmandi, prò quibus assequendis, hyemali tempore confluente, quo per urinarias vias magis repurgatur natura, ad syrup. dè terebinth. longo tempore sumendum, gressum peragerem, cui tamen jus ex foliis pimpinell. Apii, urtic. capill. vener. pariet. vèl ex radicib. altheæ petroselin. fœniculi, asparig. gramin. rusc. alteratum succedat, quo non arridente, vèl ad sal. prunell. vèl ad spirit. sal. coagulat. Hadriani Amynsicht, vèl sal. dulc. & vitriol. cum eodem alterato jure devenirem; clysteribus, si opus erit, vèl medicamentis lenientibus lubrica servetur alvus, cum quibus tamèn diureticum aliquod misceatur. Lambitiva ex syrup. heder. terrestr. tussilag. scabios. violar. dè hyssop. capillor. vener. sicùt inunctiones ex ol. violar. vèl semin. lin. cum spermat. ceti parentur; quibus fotus ex radic. altheæ, fol. malv. violar.

lar. florib. chamomil. confectus anteeat. Victus sit exquisitus, acida, & salsa cibaria vetentur. Potus sit aqua hordei saccharat. vèl graminis. His paucis, quæ innuo, & aliis, quæ prudentissimum Medentis judicium tui addere potest, Patientem nostrum, licèt acutorum morborum incertæ sint prænunciationes, ad sanitatem perventurum existimo; quo obtento, jus parvæ pullæ hordeo germanico repletæ,& heder. terrestr. tussilagin. pulmonar. scord. & radic. chin. alteratum in usu ponatur: Interim valè mi N. N. & ad Ægrum omnem industriam conferre iterùm Te precor, etsi gloriam, abjectis omnibus, tuos antè oculos pones, te ipsum vinces in labore.

CONSULTATIO XXI.

Prò Hydrope Pectoris.

ILlustrissimum Dominum moribus, sagacitate, & excellenti doctrina prædítum gravitèr ægrotare à doctissima schedula tua peraudiens, incredibilitèr commotus sum, aspice mi N. N. quid opus suscepisti, cui familiæ servis, quid

honoris, quid existimationis tuæ erit, si hic, tuæ diligentiæ, ac doctrinæ commissus, valetudinem optatam assequetur, nihil equidèm utilius fortunæ tuæ esse poterit, omniaque bona, quæ sæpè sæpius ab aliis frustrà peroptas, possidebis hoc in uno; confer igitùr hùc omnem scientiam, & lucis, noctisque vices nè amittas. In massa sanguinis extat, ut Divinus Senex affirmat, & salsum, & acidum, & dulce, & amarum, & austerum, quibus in æquilibrio sistentibus, constat valetudo viventi, at enim verò si aliquid istorum exuberat, tristibus languescunt corpora morbis; in nobilissimo Patiente nostro assidua salitorum, acidorumque ciborum comestione, sal dominium acquirens, & effervescens febrem inducit, dein fibrosam sanguinis partem corrugat, serosamque in pulmonum substantiam, nimio scribendi studio laxatam, perfundit, quę, in thoracis cavitatem delabens, manifestissimum pectoris Hydropem progignit; murmur fluctuantis aquę, quod in cavitate pectoris auditur, cum corpus sursùm, deorsùm, ac transversim commoveatur, respiratio difficilis à serosi laticis congestu in pulmonaribus

ribus veſiculis peracta, liberos iſtorum motus impediente, tuſſicula ab ichore ſalſo, membranas eorundem irritante, tumor pedum incipiens à congerie ſeroſę materiæ in venis, iſtam arteriis non perfectè revehentibus, & ſitis, à denegato humidi in ſalivales glandulas fluxu proveniens hoc idem teſtatur: undè medicę indicationes erunt ſanguinis maſſam edulcurandi, humoribus compagem reddendi, & iſtorum congeries auferendi, prò quibus obtinendis, medicamina uſque adhùc congruè miniſtrata fuere, deincèps hyberno tempore inſlente, urinarii ductus aperiendi; hinc ſal. ſtipit. fabar. vèl tartar. vèl ſpirit. terebint. vèl ſal. dulc. & ex diureticis alterato jure utetur, expectorantia ut ſyrup. violar. dè pomis, ſicùt & purgantia cautè adminiſtrarem, illa nè diarrhęa, iſta nè ſuffocatio ſuperveniat; prò lenienda igitùr alvo oleum amygdalar. dulc. tutò exhiberem, sèd tutius clyſteres emollientes, cum neceſſitas urgeat, injicientur. Prò ſiti extinguenda gelatin. c. c. in uſu ponatur. Potus ſit aqua gramin. vèl decoctum radic. cichor. aùt vinum extinctione chalybis paratum, vel pomor. redolent. de-

coctio saccharata. Victus sit facilis coctionis, & sale absyntii conditus, in quo specificum stomatic. Poter. cum croc. martis aperiente sumatur. Etsi, persequi omnia, quę Ars Medica ministrat, difficillimum sit, attamèn his, quæ exiguus annuo, & aliis, quę Vir optime adjunges, ut cauteria cruribus, aùt tibiis, fotus, unctiones &c. spero fore Patiens noster, licèt quinquagenarius, fortis tamèn, & robustus, ut in melius se habeat. Faxit Deus. Valè.

CONSULTATIO XXII.

Prò Hemoptysi.

ME in Consultationibus missis summis laudibus afficis, sed sinè re, scribo enim aliquid, sèd plurima in aliis desidero, ex quo sequitur me in respondendo ad Viros in Medicina excellentes Fossombronum nempè, Lancisium, Sinibaldum, & Pasculum impelli, atque exuviis, quas ab ipsis arripio meipsum induere, si aliquid ergò boni est, jis ascribe; Tù verò in schedula tua ità Rem Medicam tractas, ut cum paucissimis excellas;

las; scribis igitùr Hæmoptysi Illustriss. & Excellentiss. Dominum, quadraginta ætatis suæ gerentem annum, vexari, ob id hæc pauca remitto. Omne sanguinis sputum, vèl à quantitatis, vèl à qualitatis vitio dependere omnes affirmant, ab illa vèl Rhisin, vel Anastomosin, ab ista vèl Diapedesin, vèl Diaurosin effluit; In nobilissimo igitùr Patiente nostro tenuiores sanguinis partes ad minima pulmonum vascula delátæ, ipsorum poros permeant, ex quo Diapedesin, & in eorumdem vesiculis congestis, salsæ particolæ, nimio acidorum, salsorumque ciborum usu acquisitæ, sicco, biliosoque temperamento concurrente, exaltantur, undè filamenta nervea irritantes, istorumque fibrosum motum ad superiora evertentes, tussim, & sputum, ab irruente lympha adauctum, progenerant, hoc ab inspirato aëre discussum, & rarefactum spumosum educitur, quod à vitalibus partibus exire testatur: Indicationes igitùr curativæ istius affectionis erunt, nè febris, corporis macies, vèl phthisis emergant, humoralem massam edulcurandi, pulmones firmandi, ac leniendi, prò quibus assequendis, præmisso

misso leniente ex cassia, seminibus citri correpta, huic aquæ hordei œnophorum unum superbibendo, sanguinem revellendi causa, venæ sectio in brachio, deìn in pede celebretur, etsi opus erit, etiàm hæmorroides hirudinibus aperiantur; singulo manè alteratum jus portulagine, hedera terrestr. ac plantagin. usurpetur, cui tamèn pulv. corall. vèl margarit. pp., vèl bolus ex jisdem, & conser. rosar. siccar. confectus anteeat; queis non faventibus, ad urtic. succ. cum jure simplici, ac temporibus Verni accedentibus, ad asininum lac pervenirem; lambitiva ex syr. violar. rosar. sicc. in usu ponatur, vèl tabell. ex ocul. cancror. flor. sulphur. corall. rubr. sacchar. cand. aqu. plantag. rosar. constructas, & balsamo Peruviano irroratas, contineat in ore. Fomenta ex aqua plantagin. rosar. cichor. & unctiones ex unguent. rosac. vèl sandalin. patrentur; clysteribus emollientibus, vèl ol. amygd. dulc. lubrica servetur alvus; emulsionibus amygd. dulc. & papaver. alb. utetur. Victus sit facilis coctionis; à salsis, & acidis abhorreat, cum quo pulvis Haly Abbatis, vèl perlar. & à cœna sacchar. rosa. vèl philon.

lon. Roman. cum aqua plantagin. usurpetur; interim vale, & me tui incensum amore diligito, & ità, ut nihil aliud nisi maximam instituendi tecum amicitiæ vinculi cupiditatem retineam, etsi methodicas Consultationes tuas, mihi sæpè sæpius trasmittes, certiorem me facies, ut voluntatem meam receperis.

CONSULTATIO XXIII.

Prò Phthisi.

ILlustrissimi Domini N. N. Philosophi summi, & Viri omni virtute non vulgaritèr eruditi, insontis animi, ac exemplaris vitæ, miserabilis ægritudinis status alacritatem mihi prorsùs abstulit omnem, etiàm dolore tuo valdè crucior, & magnoperè doleo; vixistis enìm una sempèr amici, alteri charissimus alter, uter ingenio, virtute, prudentia utri par est, mæreo inquam, eum Phthisi vexari, ut ex doctissima Consultatione tua exaudio, à principio salso erodente, atque sulphureo, putredinem inducente, exorta; his igitùr per cibos salsos, indigestos, & per alia in genere victus errata

rata oneratus est sanguis, qui cum non eodem modo à venis referatur arteriis, sèd in minimis pulmonum vasculis stagnet, tumorem primò progenuit, cui postmodùm tuberculum, & ulcus successit, hinc ad pulmonares vesiculas, concurrente ichore irritante, atque ab inspirato aëre agitato, pus, tussis, & catarrhus emanat; at cùm dicta principia non perfectè per sputum eliminentur, sèd circulatione media ad sanguinem reducta, febrem, nutrimenti hauriant particulas, copori emaciationem inducunt; In curatione istius affectionis, quæ licèt curatu sit difficillima, attamèn cùm in Patiente nostro ætas, virès, & appetitus vigescant, spes aliqua, vèl saltèm plurimis victurum annis habendum, medicæ indicationes erunt, humorum massam edulcurandi, pulmonum compagem confirmandi, ulcus detergendi, & conglutinandi, & corpus nutriendi, quæ simplici lactis asinini usu adimplentur, cum quo syrup. rosac. vèl violac. capiat Æger; quo non arridente, ad muliebre accederem; prò leniendа alvo, vèl mann. vel cass. cùm pulver. liquirit. aùt syrup. rosac. utatur. Expectorantia ex syrup. heder. terrestr. vèl

vio-

violac. ex flor. sulphur. magist. perlar. vèl corall. & ex aliquibus gutt. ol. vitriol. vèl balsam. pervvian. vèl exilir. propriet. Helmont. suffumigia ex thur. myrr. succin. styrac. seminib. corian. rosis rubeis, vèl herbis tussilagin. viridis, hyssopi, lenimenta ex oleo violar. butyr. camphor. & spermat.cet. balnea ex aqu. dulc. emulsion. ex seminib. melon. vèl amygd. dulc. vèl aven. vèl hord. parentur. Victus sit refrigerans, & humectans, cùm quo, vèl conserv. rosar. vèl pulver. Haly Abbatis assumat. Potus sit decoctum radic. chyn. vèl santal. vèl hord. vèl liquirit. quibus non proficientibus, iter ad maritimum aërem tendat. Hæc tibi Vir optime indicare audax fui, quæ ordinatissimæ methodo tuæ submitto; interim valè mi amantissime, & Patientem nostrum meis verbis plurimum saluta, & si in respondendo segnis extiti, salutationes, & visitationes amicorum, curationes infirmorum, & res domesticas, non voluntatem meam incusa.

CON-

CONSULTATIO XXIV.

Prò Palpitatione Cordis.

TU Excellentissime Doctor Consultationes meas recipiens, eas si respicies, nullæ sunt, animum si perpendes, gratissimum invenies; ab amore enim proficiscitur non tantùm à beneficiorum receptione contracto, quæ cùm multa sint memoria colo, sèd etiàm à sensuum similitudine, qua arctissima necessitudo in nobis confesta est; qua dè re totos dies tecum solvere vellem, eò magis cùm eodem Consultationes scribendi genere, quo delector, delecteris; quarum in una patefacis, quod scabies absque purgatione præmissa per unctionem, hyemali tempore adhibitam, cùm evanuisse faciem præseferret, circulatione humorum media, massam sanguinis petjit, atque eodem falso principio, quo ipsa fovebatur hanc oneravit, id cor pertransiens, atque istius fibras irritans, Palpitationem cordis, resiliente corde, producit, qua admodùm Reverendus Dominus gracillimus, quadragesimum ætatis suæ annum agens,

agens, temperamento calido, & sicco præditus, siccis, salitisque cibis vescens laborat, à quo periculoso morbo, costarum enim fracturam, vel syncopen, & tandèm dè medio tollere potest, cum liberandi, medicas indicationes haberem, dictum pricipium eliminandi, humores edulcucurandi, partemque corroborandi, prò quibus adimplendis, universali purgatione præmissa, & aqua Nuceri. pluriès, ac interpolatè assumpta, jure ex parva pulla hordei germanici repleta per quadraginta dies, ac pulvere viperin. & corn. cerv. philosoph. uterer; deìn distillatum manè, & quatuor horis à prandio cum pulver. ocul. cancr. pp. & aliis hujus generis assumendum, ex aqu. hordei, succ. malv. cychor. lactuc. portulac. cremor. hord. german. pom. redolent. ran. decortic. testudin. nemor. carn. vitul. ac cerebr. ejusdem s. a. confectum exhiberem, & tandèm ad asininum lac venirem, quibus, cum victu humido, & balneis ex simplici aqua, cumque conserv. melifs. flor. borragin. confect. hyacint. alkerm. post cœnam sumendis, non arridentibus. Æger ut iterùm scabiem per contactum

assu-

assumeret, juberem, à qua methodicè liberandus esset. Faxit Deus &c.

CONSULTATIO XXV.

Prò Cardialgia.

ET amicitiam, & acumen ingenii tui in transmissa schedula conspicio, in illa nullum tibi anteferendum dijudico, adnexit enim nos, non ardens gloriæ sitis, non fœnus, sèd ipsa virtus, qua nihil est prius, & quam omni studio, omnique observantiæ munere colis, hoc morborum causas, ac differentias, difficillimos involventes nodos, patefacis, & Hyppocratis aphorismos implicatos, atque involutos exponis, & medicamina exhibenda miro quodam, & exquisito ordine profers; mitto igitùr consilia hæc, non Te, vir optimè, ut instruam, sèd homines observantiam in te meam, & quanti tua scripta faciam, ut cognoscant. Orificium, sivè pars superior ventriculi cum multas, ac diversas ramificationes à sexto nervorum pari recipiat, exquisitissimo sensu prædictum est; itaque si hæc pars ab extraneo objecto stimuletur,

atro-

atrocissimis doloribus afficitur: in nostro igitùr Patiente principium salinum, à stomachi glandulis emanans, per salitarum rerum assiduam comestionem summoperè exaltatum, ità istius orificium irritat, ut acerrimum dolorem sub cartilagine Xiphoide propignat, cumque cordis, capitis, omniumque viscerum nervi per consensum convellantur, sicque perfecta fluidorum circulatione, & expansione partium impedita, anxietates, jactationes, palpitationes cordis, respiratio difficilis, animi deliquium, tremores, vertigines, atque ventriculi peristaltico motu ad superiora inverso, vomitus resultant, à quibus symptomatibus cardialgia constituitur, qua Æger noster laborat; ab hac eum habitus corporis sicci, trigesimum primum gerentem annum liberandi, medicæ indicationes erunt, principium peccans edulcurandi, ac eliminandi, partes affectas leniendi, congestionesq; auferendi, prò quibus assequendis, nè in mortem, quæ, ut plurimùm attingitur, labatur Ægrotus, blanda medicamina, intèr quæ ol. amygd. dulc. in primis laudarem, proptèr ejus enim ramositatem, ac unctuositatem ma-

teriam peccantem eliminat, partemque delinit, hoc præmisso, ac repetendo cum opus fuerit, ad clystereres emollientes, ac laxantes venirem, quibus fotus ex absynthio Romano, cynam. camphor. vino, & aceto rosac. & unctio ex ol. absynt. & amygd. dulc. parata succedant; dolor interim si vigeret, ab opiatis non abhorrerem, laud. inquam nepent. quercetan. cum conserv. rosar. vèl violar. cum aqu. theriacal. exhiberem; quibus non proficientibus, balneum aquæ dulcis, cum herbarum emollientium decoctione, ponerem in usu; sæpè sæpiùs emulsiones seminum melonum, vèl amygd. dulc. cum laudan. liquid. uterer, & victum humectantem instituerem: Faxit Deus. Vale.

CONSULTATIO XXVI.

Prò Inappetentia.

INtèr humanas res, quibus homines cohonestantur, nihil virtute præstantius esse mihi videtur, hac instructi, etsi ab humili stirpe oriantur, æquè dignitates exercent, ut qui ad imperia nati, & quoniam à natura docemur, hanc prosequi

sequi amore, à voluntate tamèn confirmandum, utrumque siquis obtinet, præ cæteris amandus, ac omni laude cumulandus, eo magis si hic divitias nihili pendat, virtus enim per se ipsam, non per alia, diligenda; tuę sunt hæ laudes Antoni Ricchi, qui omnes hujus Mundi existimationes, atque gazas, excepta virtute, conculcavisti, undè tibi indelebile nomen erit, nèc me opinio decipit mea, Te enim liber inscriptus, *La Regia de Volsci* prælo typico expressus, & alius in lucem edendus per Orbem Terrarum divulgant; precibus tecum igitùr ago, Vir clarissime, quam possum diligentissimis, hoc humile consilium meum nè despicias. Salis principium, in massa sanguinis luxurians, circulatione media, in minimas ventriculi glandulas prolabitur, undè ejus filamenta nervea blandè irritans, famem producit, in te verò habitus corporis pinguis, ad senectutem pendente, ac largis aquæ potionibus continuò utente, ab aqueo principio ità illud dilutum est, ut penitùs enervatum sit, undè irritatione dulci ablata, inappetentia, qua laboras resurgit; ab hac te liberandi, Medicas Indicationes haberem, falsum prin-

cipium conspicuum reddendi, & partem confirmandi, nè in morbos majoris afflictionis incurras, prò quibus obtinendis, medicamine ex diatar. & cremor. tartar. præmisso, ad syr. de absynt. cum jure cichor. fumar. & semin. citr. alterato per octo dies accederem; dicto medicatu repetito, pluribus diebus sal absynt. menth. centaur. minor. cum eodem alterato jure sit in usu; his non proficientibus, ad aquam Tectucian. cum syr. flor. persic. alternativè sumendam venirem. Post cænam à Theriac. cum conserv. menth. quatuor horis post prandium à potione capheæ, cum elixir propriet. Helmont. & antè pastum à balsam. Peruvian. minimè abhorrerem. Unctiones in ventriculi regione ex ol. cydonior. menth. nardin. nuc. moschat. patrarem. Victus sit facilis coctionis, & sale absynt. condiendus. Potus vini optimi, & aqua coriandr. vèl cynam. alterata corrigendus. Quæ subitò scripsi curanti Medico submitto, & me amore tuo ardentem redama. Vale.

CON-

CONSULTATIO XXVII.

Prò Fame Canina.

AMplus eis honor debetur, qui non communem, vilemque complectũtur artem, sed ad illustrem quamdam, liberalemque scientiam totum animum intendunt; amplissimus verò si in Medicina omnem curam, atque operam ponunt, hæc est Philosophiæ pars, qua veteres edocti divinum nomen adepti, precibusque fatigati fuere, nèc sine re; perfecti enim Medicæ Artis Cultores rerum causas, medicamina exhibenda, ut sanitatem reddant, & futura optimè callent, sed hæc à Deo unico Principio emanant, Divini igitùr appellandi; nèc tù, mi N. N. tantam mentis præstantiam, nèc tàm comitèr omnes haberes, nèctam omni Virtute, omnique laude ornatus, nèc tàm elegans in sermonibus, nèc tàm in Religiosæ vitæ ratione modestus esses, nisi apprimè Arte Medica eruditus. Summis domesticarum rerum studiis valdè districtus eras, Consultationem tamèn

compositam, ornatam, & artificio quodam, & expolitione ità distinctam misisti, ut statim ac recepta fuit, per ora, perque palmas amicorum meorum summo cum decore tuo, & istorum admiratione transiverit; prò morbo itaque, quo Æger vexatur, idem sentio, quod tù, atque ut obedientiam tibi deferam, has imperitè literas pingo. A' salitis cibis, quibus Patiens vigesimum primum ætatis suæ gerens annum continuò utens fuit, ità principium salsum in ventriculi glandulis exaltatum est, ut summa in ejus filamentis nerveis irritatione peracta, & undulatione nervorum media, ad cerebrum delata, majori copia alimenta petuntur, quàm naturalis ordo requirit; cumque nervorum complexus dicti ventriculi lacessitus sit, vellicatu simùl concurrente, istius ad superiora motum impellente, vomitus resultat, à quibus Fames Canina constituitur, à qua eum liberandi, nè in cachexiam, hydropem, marcores, aliosq; lethales incidat affectus. Medicæ Indicationes erunt, irritationes auferendi, partemque corroborandi, prò quibus obtinendis, præmissa per vomitum evacuatione, ad pulver. oculor.
cancr.

cancr. matr. perlar. pp. cum jure ex cichor. plantagin. portulagin. alteratum plurimis diebus ſumendos venirem. Emulſiones ſemin. cucurbitular. amygd. dulc. melon. ac horde. frequentèr horis Medicis, & antè prandium, & cænam gelatin. corn. cerv. ſint in uſu. Quibus non proficientibus ad aquæ Nucer. uſum adirem. Victus ſit oleoſus, & pinguis; jus ſimplex, vèl aqua hordei, vèl Nuceri. potus. Quæ ſilentii tenebris obſcuro claritate judicii tui patefacies. Vale.

CONSULTATIO XXVIII.

Prò Siti morboſa.

MUlta ſunt, & maxima officia in Me tua, unum tamèn excellere mihi videtur, quòd etſi magna locorum longinquitate diſiungimur, quam ſæpiſſimè mentem meam, triſtibus curis affectam, dulciſſimis, elegantiſſimiſque literis tuis recreaviſti, quamobrem ſalutis meæ ſtudioſiſſimum, cupidiſſimumque cognovi; undè ſi vitam, quam tibi debeo, profunderem, nullam partem tuorum meritorum me aſſequutum eſſe dijudicarem;

attamèn ut ex me aliquam voluptatem recipias, Consilia hæc Medica largior. Salsum principium in humorum massa summoperè exaltatum, partes aqueas ex ventriculo, & salivalibus glandulis absumens, sitim progenerat, qua Patiens, habitus corporis sicci, salitis cibis continuò, & quadragesimum quintum ætatis annum agens, laborat, à qua eum liberandi, nè in hydropem, vel hecticam, vèl phthisim, vèl alios incurabiles morbos incurrat Æger, medicas indicationes haberem, dictum principium diluendi, ac eliminandi, prò quibus assequendis, ad jus cichoraceis herbis alteratum, viii. diebus sumendum accederem; deìn præmisso medicamine ex cass. parato, & pulpa seminum citri correpto, œnophorum unum aquæ hordei interpolatè superbibendo, asinino lacte uterer, quo non arridente, balneum aquæ dulcis laudarem. Victum humidum instituerem, cùm quo vèl gelatina corn. cerv. vèl conserv. flor. borragin. vèl rosar. & quatuor horis à prandio, vèl emuls. semin. melon., vèl potus herbæ theæ sumetur. Quæ per notam compendiariam scripsi, doctissimo curanti Medico remitto. Valè

CON-

CONSULTATIO XXIX.

Prò Dolore Colico.

PRudentiam medendi artem arbitror esse; prudentiæ enim munus existit quæ Ægrotantibus accidunt studiosissimè observare, atque animum referre ad causas, ipsasque diligentissimè intueri, ac rationem inquirere cùr hoc evenit, ex hoc salus, ex illo mors subsequuta; hæc rectè agens, uti tu, mihi unus in animo hærens, omnia ad salutem, vèl saltèm ad rectissimum finem impellet: ex fecibus crassissimi cibi, quo Domina Patiens, juvenis, calido, & sicco temperamento pollens, vescebatur, in intestino colon ob humidi defectum à natura absumpti, moram contrahentibus, itá principium salsum exaltatum est, ut ejus membranas, & filamenta nervea irritans, acerbissimum dolorem cinguii instàr medium ventrem affligentem progenerat, cumque animales spiritus peristalticum motum haùd perficiant, sèd quodammodò impediti retrocedant, & agitentur, vomitus, ac febris, cùm summa siti conjuncta,

juncta, exoritur, ac dicti salis aliqua portio in sanguinis massam ducatur, & à natura per urinarias vias pellatur, crassa, & viscida urina exurgit: ¡Ab hac igitùr Affectione istam liberandi, nè intestinum colon paralysim, aùt inflammationem, vèl affectionem contrahat iliacam, Medicas Indicationes haberem, humectandi, partem relaxandi, leniendi, & materias contentas par alvum, nimis adstrictam, ejiciendi, pro quibus obtinendis, unctuosa, emollientia, anodyna, ex quibus solventia medicamina, clysteres, atque fotus pararem; fortiora tamèn remedia, & opiata, nè in pejus rueret, cautè adhiberem. Victum, & potum humectantem, ac refrigerantem instituerem. Quæ plurimis abstractionibus, & media nocte conscripsi, tibi remitto, ut limam adhibeas, quod si agas, benevolentiam erga me tuam, qua nil carius ostendes. Valè

CON-

CONSULTATIO XXX.

Prò Iliaca Affectione.

QUid dè Arte Medica sentiam, idem à te Joannes Baptista Miceri intellectum, ac indicatum esse facilè pendo; eam non esse, inquam, uti vulgares homines dicunt Chymæram, seù fallaciarum agentem, sèd maximum quidèm, ac planè divinum; qui igitùr hanc ità consequuntur, ut supereemineant, uti Joannes Maria Lancisius, qui adolescens, juvenis, ac consistens in suis perennibus studijs perrexit, mentemque suam pernobilem dignis cognitionibus exercuit, quibus dè rebus Romę theatrum suarum virtutum, nullo ævo periturum, erexit, ab omnibus adorandi, ac omnium honorum præmiis honestandi; tu verò quantùm in ista profecisti, doctissima Consultatio tua, tuarum laudum, ac futuræ dignitatis nuntians, patefacit, cui responsum ità præbeo. Aquarum gelidarum, & saccharatarum potionibus, ac immaturorum fructuum assumptionibus immodicis, in ventriculo summoperè effer-

effervescentibus, Principium Sulphureum exaltatum est, quod in intestina fecibus obstructa, seù omnimodè repleta elapsum, ità eorum membranas, & filamenta nervea lacessit, ut acerbum dolorem progignat; cumque animalium spirituum influxus peristalticum motum preficientium invertatur, vomitus, etiàm fœculentæ materiæ nascuntur. Ab hac affectione Patientem nostrum, juvenem adhùc, liberandi, nè inflammatio, paralysis superveniat, medicas indicationes haberem, obstructiones auferendi, regularem, seù naturalem motum, ac robur spiritibus reddendi; prò quibus obtinendis, clysteres injicerem ex decoct. malv. altheæ, violar. chamomill. cùm oleo semin. lin. butyr. paratos: emollitis fæcibus, purgantia exhiberem. Fomenta, ac linimenta, illa ex decoct. folior. malvar. violar. mercurial. peracta, ista ex oleo amygd. dulc. quod sæpè etiam cùm simplici jure, ad leniendum dolorem, cùm syr. papaver. vèl cùm laudan. liquid increbescente dolore, tribuendum; iis non cedente morbo ad balneum aquæ dulcis, immò inflammationem præcavendi causa, ad sanguinis missionem, & tandèm
ad

ad mercurium accederem. Victum ex jure, & ovorum vitell. vèl alio facillimæ concoctionis pararem, & potum ex hordeo, vèl jure simplici. Hæc pauca, dè quibus verba feci, tibi remitto, ut protegas. Valè.

CONSULTATIO XXXI.

Prò Adstrictione alui.

IN transmissa schedula, quæ ità mihi grata fuit, ut nil gratius esse poterit, te medendi artem colere prætèr cæteros aspicio; qua dè re, qui te in oculis defero, qui honorem diligo tuum, in hanc obnixè, ut incumbas peropto, ut nomen eximiæ virtutis tuæ obsignatum æternis extat monumentis, atque per omnem terram fama promulget; ut autèm me obedientem tibi præbeam, brevem hanc Consultationem remitto. Salsum Principium in massa sanguinis exaltatum, partes humidas à ventriculo, ab intestinis absumens, & per urinarias vias superfluas dejiciens, fecibusque aridis remanentibus Adstrictionem alvi cōstituit, qua Patiens noster, habitus corporis sicci, ætatis suæ

vi-

vigesimum quintum agens annum laborat; à qua contumaci, & diuturna affectione eum liberandi, nè in Iliacam; vèl Colicam passionem, vèl in alios majoris afflictionis morbos incurrat, medicas indicationes haberem, dictum sal edulcurandi, alvumque laxandi, prò quibus assequendis, clysteres in primis emollientes ex decoct. radic. altheæ, lilior. fol. malv. betæ, mercurial. violar., vèl intestin. vervec. cum ol. lilior. amygd. dulc. semin. lin. vèl butyr. recent. paratos, sicùt prun. dulc. vèl poma cocta, in quibus manna dissoluta sit, antè prandium, & cænam ponerem in usu: his non proficientibus pulp. cass. uterer, & tandèm ad usum magnesiæ albæ, cum jusculo, cichor. gramin. agrimon. alterato, singulo manè sumendæ, gressum peragerem. Balneum, vèl semicupium ex dictis emollientibus herbis pararem. Victum humectantem, ac edulcurantem instituerem. Jis spero fore N. N., quo familiarissimè utimur, ut salvus fiat, cui, omnibusque amicis nostris multam à me salutem nunciabis. Vale.

CON-

CONSULTATIO XXXII.

Prò Lienteria.

DE amore, ac urbanitate ergà me tua tibi, omnibus, in ære meo sistentibus maximoperè gratulor, illum quondam mihi verberibus, asperitatibus, ad virtutem excitantibus, ostendisti, quo plurimùm debere tibi profiteor, præ hac ab oculis tuis absentem viget apùd me memoria tua, quotiès eam respicio, totiès adsum tibi, tecumque loquor, tacitèque me arguere videris, in Re Medica usque adhùc primatum non consequutum esse, quòd fidelissimis, amantissimisque consiliis tuis, non parvi; juvenili ætati parce mi Patrue, constetque tibi, nullum eodem instanti perfectum, absolutumque Medicum fieri, omnes à demisso, ac exili gradu incæperunt, & paulatim per altiores conscedentes, ad summum accesserunt, quod ut ego in eodem ordine versans pertingam, Excellentissimos Viros, tamquàm Heroes existimatos, Pigmeus quantum potero imitabor, uti hac in Consultatione conficio, ani-

animo venerabor, custodiam officiis. Immaturorum fructuum assumptiones, continuæ aquarum gelidarum potiones principia activa obruendo, ità ventriculi, & intestinorum rugas, & nervorum complexus laxavere, ut cibus assumptus celeritèr, ac frequentèr per alvum, nihil mutatus, ejiciatur, ex quo, cum animales spiritus irregularem motum adipiscantur, febris exoritur; cumque chylo sanguis non reficiatur, emaciatio totius resultat, ex quibus Lienteria constituitur, qua Amicus noster, juvenis adhùc, & habitus corporis pinguis laborat; ab hac eum liberandi causa, medicæ indicationes erunt, principia activa conspicua reddendi, & sic ventriculo, ac intestinis robur reddetur, & perfecta fermentatio, chylificatio, ac distributio fiet; prò quibus, Superis plaudentibus, facilè obtinendis, præmisso medicamine ex syr. flor. persic. cum infusion. myrob. chalybeat. s. a. parato, & aqua theriac. correpto, aquam tectucianam superbibendo, ad jus ex absynt. fumar. cichor. & seminib. citr. alteratum devenirem, cum quo aloes, corallor. rubror. mastic. terr. sigillat. pulveres, vèl istorum loco balsamum

mûm Peruvianum, vèl spiritus mastic. vèl syr. dè absynthi. vèl cydonior. sumendi; post cænam mitrid. optim. vèl confect. alkerm. cum sale absynt. conserv. rosar. sicc. cum theriacalib. aquis usurpetur: interìm fotus ex galang. ireos floren. absynt. corticib. citr. mentha, hyssop. salvia &c. non omitterem, quibus unctiones ex ol. absynt. mastic. balsam. pervuian. nuc. moscat. succedant. Potus sit aqua hordei chalybeata, vèl auro ustulata, vèl coriandris alterata. Cibus aromatizatus, & acido alteratus. Quæ in me egisti, in Agabito perage nostro, ut omni virtutum genere doctus, in hoc terrarum orbe verus homo dicatur, & spe ut senescens in me quietem, gaudium, ac levamen invenias, huic Patri, Matri, atque sororibus meis plurimam remitto salutem. Valè.

CONSULTATIO XXXIII.

Prò Diarrhæa.

UTi eximium extat in Re Medica supereminere, sic ea percipere, quæ ad illam conducunt difficillimum est; va-

na spe luditur si quis perfecti Medici nomen in venustissimo verborum sonitu positum esse arbitratur, maximi ponderis sunt, quæ inquiruntur, atque ex latitantibus plurimarum scientiarum fontibus absorbenda; à quo igitùr hac virtute excellere optatur, voluptati verborum, quæ populares aures tantùm delectat, ab intelligentibus verò stultitia, atque temeritas existimatur, utilitates rationum, atque sententiarum addendæ, quod prudentèr à philosophia obtinebitur, & si res exigeret, ut sivè dè terrestribus, maritimisque regionibus, sivè dè stellarum influxu differendum esset, hæc quidèm attingere minimè poterit, nisi qui Geographiam, & Astrologiam optimè calleat, quas omnes liberales artes in temi N. N. collectas esse percipio, dùm Patiens noster undè laborare incæpit optimè cognoscis, & medicamina exhibenda ratione proponis, omnia tandèm, quæ ad rem nostram pertinent, prudentia, & judicio attingis. Cibus in ore alteratus per OEsophagum in ventriculum descendit, ubi separatione prima chyli peracta, crassior materia, ut chylus magis, magisque elaboretur, in intestina pro-

prolabitur, craſſiſſima verò in feces tandèm concreta per alvum ejicitur; ſi ergò materię in inteſtina prolapſę pars ſulphurea exaltetur, membranas iſtorum exaſperat, & periſtalticum motum adauget, ex quo liquidiores, & frequentiores dejectiones ſub crocea, ſeù bilis forma per alvum habentur, ex quibus Diarrhęa conſtituitur, qua Illuſtriſſimus Dominus laborat, prò cujus curatione, indicationes haberem, principium peccans eliminandi partem leniendi, atque firmandi, nè in lienteriam, vèl dyſenteriam, vèl alias incurabiles affectiones incurrat, prò quibus obtinendis, præmiſſo medicamine, ex ſyr. flor. perſic. cùm infuſione rhabar. myrob. ſantal. citrin. confecto, aqu. hordei OEnophorum unum ſuperbibendo, ad jus plantagin. portulagin. & ſeminib. citr. alteratum venirem. Cùm cibo corn. cerv. uſt. vèl corall. rubr. ſumetur. Emulſiones ſemin. melon. & papaver. alb. clyſteres aqu. hord. vèl lactis cùm ſacchar. violac. ſint in uſu. Poſt cænam conſer. roſar. cùm mitrid. optimo vèl veter. vèl recent. utatur. Externè fomenta ex abſynt. roman. & unctiones ol. nuc. moſcat. parentur; quibus non pro-

ficientibus, ad usum aqu. Tectuci. cùm syr. flor. persic. & ad chalybeata, & blanda opiata accederem. Victus sit boni succi. Potus aqua hordei, cum vino rubro; sèd parca manu exhibendo. Jis spero fore Patiens noster, ut sanitatem attingat, præsertim cùm febri, & alijs sumptomatibus, ad mortem tendentibus, non vexetur. Faxit Deus. Valè.

CONSULTATIO XXXIV.

Prò Dysenteria.

QUamplurimi temporibus priscis in Re Medica excelluere, quod eis contigit, sivè quòd aureus stellarum influxus currebat, sivè quòd majoribus donis, quibus minimè hac tempestate, ornabantur; attamèn in quam paucissimis, hac in liberali scientia, solius virtutis amore, præcellentibus, Te Vir candidissime, ac omni laude dignissime pendo; cujus nomen non ævum extinguet. Ex Dysenteria Illustrissimum Dominum laborare profaris, à principio sulphureo materiæ in intestina prolapsæ, maximoperè à cibis aromatizatis exaltato, emanante,

nante, quod eorum membranas ſtimulans, & venas conſcindens, atque exulcerans, frequentem, cruentamque alui dejectionem, cùm ventris dolore, ac torminibus, parit; cumque iſtius aliqua portio in ſanguinis maſſam ducatur, & effervescat, lenta febris reſultat, quam ad ſanitatis metam perventuram exiſtimo, cùm Æger juvenili ætate floreſcat, & viribus abundet: dictum Dominum igitùr liberandi gratia, medicas indicationes haberem, ſulphurei exaltationem principij compeſcendi, partem abſtergendi, atque firmandi, prò quibus aſſequendis, præmiſſo leniente ex caſſia, & pulp. tamarind. parato, & cùm uſus fuerit, repetendo, ad jus ex plantagin. urtic. portulagin. alteratum accederem, cui bolum ex corall. rubr. margarit. pp. bol. armen. corn. cerv. uſt. maſtic. & conſerv. roſar. ſicc. vèl cydon. vèl tintur. corall. confectum præmitterem; interim clyſteres ex qua hord. chalybeata cùm vitellis ovor. vèl aqua Tectuciana frequentèr uſurparem, quibus opiata etiàm, & narcotica adderem; dolores ſi adaugerentur, immò inflammationem prohibendi, & ſanguinem revellendi cauſa, ſectionem venæ jube-

rem; his non proficientibus, ad lac vaccinum chalybeatum, cùm syr. myrt. gressum peragerem. Fotus toti ventri ex decoct. coriandr. plantagin. chamomill. rosſ. rubr. vèl ex lacte chalybeato, vèl sacculus ex furfuribus, in lacte decoctis, vèl omentum vervecis recentèr mactati applicentur. Victus refrigerans, & glutinosus, extremitatibus animalium nempè paratus, cùm quo alcalicæ pulveres sumantur. Potus aqua hordei cùm tinctura rosarum, vèl aqua simplex, auro ustulata, persistat. Tu verò vale, & quascumque accessiones fortunæ, ac dignitatis virtutibus, atque laboribus tuis tibi factas esse perspiciens, maximoperè gratulor.

CONSULTATIO XXXV.

Prò Tenesmo.

OMnes me scientiarum cognitiones mirum in modum delectant, tùm verò incredibili gaudio afficior, dùm Medicam Artem loquuntur, & loquor, exercent, ac exerceo, quid enìm hac utilius, quid dignius? circà summam rem, nem-

nempè hominum vitam, sanitatemque versatur, sola Regibus, Principibus imperat, ad quam cognitiones rerum confluunt omnes, hac te, amplissime Doctor, maximoperè instructum aspicio, dùm ad acquirendum absoluti Medici honorem labore, ac tempore expertus es ipse, atque aliorum experientiis utens fuisti, in quibus Medicinæ bonum consistit; qua dè re in doctissima schedula tua morbi causas, quæ patranda, & expectanda recludis: ego autèm, ut sententiæ tuæ calculum addam, hæc verba facio. Feces, separatione chyli peracta, si plùs quam par est in intestino recto morentur, ità pars sulphurea exaltatur, ut istius filamenta irritentur, & per consensum nervi communes afficiuntur, undè abdominis, & diaphragmatis musculi contrhauntur, ex quo fieri minimè potest, nè permolesta intestinorum sentatio, ac dejiciendi nixus, frustranei tamèn, ob materiei contentæ inopiam, exoriantur, à quibus symptomatibus Tenesmus distinguitur, quo nobilis Patiens noster, consistentem possidens ætatem, habitus corporis gracilis, atque cibis siccis continuò utens laborat; Ab hoc igtùr eum liberandi, nè ulcera, aùt

fistula immedicabilis succedant, indicationes erunt, principium exaltatum compescendi, & consequentèr irritationes auferendi, & partem affectam corroborandi, prò quibus assequendis, frequentes clysteres vèl ex aqua hordei, vèl chalybeata, vèl Tectuciana, vèl Nuceri. paratos laudarem. Fotus ex fol. tapsi barbati, malv. viol. verbasc. & corticib. granator. flor. chamomill. rosar. plurimis laudibus tollo. Post cænam mitrid. optim. cùm conserv. rosar. adhiberem. Jis non proficientibus, aqua Tectuciana, per os sumenda, utatur. Jura plantagin. ac portulag. alterentur, quibus bolosi pulveres addendi. Victus sit refrigerans, & humectans, & aqua hordei potus. Valè.

CONSULTATIO XXXVI.

Prò Obstructione Mesenterii.

OMnia hujus mundi, Excellentissime Doctor, corruptibilia esse satis omnibus constat; marmora enim, atque metalla, quæ solidissima sunt, & quæ vix conscindi possunt, consumuntur, ac devorantur à tempore, quod, ut mea fert sen-

ſententia, per materiam, ex qua conſtant, evenit, hæc cùm aliam, aliamque appetat formam, deſtructionem quærit illius, quam actualitèr obtinet; nunquam igitùr quieta eſſe videtur, adeoque mutationes, & corruptiones rerum ſuccedunt; unum tamèn immutabile, & incorruptibile eſſe dijudico, artium ſcilicèt liberalium honos, is cùm homines adornet, eos æterna gloria illuſtrat, quorum in numero te poſitùm eſſe doctiſſima Conſultatio tua declarat; ego autèm licèt in ſcientiis nihil ſim; attamèn, ut tibi meì ergà te ſtudii cauſam veriſſimam exponam, conſilia hęc medica mitto. Omnium eſt Philoſophorum ſententia, ſimile ſibi ſimile producere, cùm itaque Patiens noſter craſſis, viſcidiſque alimentis, principio terreo plurimùm abundantibus, utens fuiſſet, craſſus, viſciduſque chylus productus eſt, qui cùm liberè per vaſa meſeraica, ob ejus ponderoſitatem, & craſſitiem, minimè effluat, sèd in iſtis moretur, obſtructiones progenitæ fuerunt, quibus Illuſtriſs. Dominus, xii. ætatis gerens annum, & habitus corporis gracilis, laborat, per alvum materiæ albæ fluxus, à denegato chyli tranſitu ad

ca-

capsulam communem exoriens, corporis macies, ob defectum materiæ partium alendarum idoneæ, distentio, & gravitas partis, ventriculi compressio, arteriarum pulsationes circà dorsum, & alia symptomata, in transmissa schedula diligentèr exarata, & explicata, à dicto chylo stagnante, ac premente emanantia, hoc idem testantur: Ab hac igitùr affectione eum liberandi, nè in atrophiam, & alios morbos labatur, medicæ indicationes erunt, chylum volatilem, fluentemque reddendi, & corpus reficiendi, prò quibus obtinendis, purgatione universali præmissa, ad aquam rectucianam, per plures vices cùm syr. flor. persic. sumendam, gressum peragerem; dein jusculum turrialis columbæ ex chyn. salf. parill. c.cerv. & radic.apii,petrosel. fœnicul. asparag. & limatur. chalyb. xxxx. diebus sumendum; octavo quoque die diatartarum Petri Castell. cùm rhabarb, ac decoctionem capheæ quatuor horis à prandio cùm elixir propriet. Helmontii ponerem in usu. Fotus parti admovendi ex radic. altheæ, flor. malv.violar. agrimon. menth. absynt. & unctiones ex ol. lilior. absynt. parentur. Victus sit facilis coctionis,

nis, & ſale abſynt. ſalitus, cùm quo ſtomaticum ſpecificum Poterii ſumatur, & vinum chalybeatum; tandèm, prò extrema manu addenda, ad jus parvæ pullæ, hordeo germanico repletæ, accederem: Valè.

CONSULTATIO XXXVII.

Prò Affectione Hypochondriaca.

ETſi multarum ægritudinum curis, atque aliarum rerum pondere ità premor, ut vix vitam ducere poſſim; attamèn, ut Conſultationibus tuis reſponſa donarem, omnia prorsùs rejeci, atque officium, quod tibi à me debetur, antiquiſſimum æſtimavi. Animi pathemata, otium, ad ſatietatem comeſtio, atque alia in ſex rebus non naturalibus errata, fermenta, à glandulis oris ventriculi, & inteſtinorum emanantia, in naturali ſtatu ſucco ſalſo, & ſubdulci abundantia, in acidum menſtruum commutarunt, ex quo tumultuaria ciborum attritio ſuccedit, hinc alituoſæ particulæ exaltantur, atque eleſtico motu, ſclopi inſtàr pulveris turgeſcentes, & irritantes æſtum, flatum,

tum, tensionem, duritiem, tumorem, atque dolorem in hypochondriis progignunt, ex quibus per consensum pectoris angustia, ac difficilis respiratio resultat. Vomitus acidæ materiæ contingit ex reliquiis alimenti non benè digesti, ex materia à toto refluente, atque ex portione bilis gracilium intestinorum levi convulsione ex choledoco, sursùm expressa; ex concepta itaque in chylo labe, cùm non ritè ab enervata bile excrementa præcipitentur, acidus fit sanguis, & consequentèr succus nerveus, ab isto, filamenta nervea irritante, dolores capitis, & convulsiones oriuntur, ab illo tarda fermentatio,& ità inquinamentis quibusdam intèr circulandum in hepate,ac liene interceptis, tensio fit viscerum, tenujor autèm sanguinis pars, in renibus recollecta,sub urinæ forma ejicitur,quæ secundū majorem, vèl minorem lixivialium salium abunbantiam, modò decolor, & tenuis, modò crassa, & fæculenta apparet. Indicationes istius morbi curativæ, qui ut plurimùm lethalis minimè existit, potest tamèn longissimus esse, ità ut Medicorum opprobrium esse dicatur, ex prædictis manifestè trahuntur, inquinamenta

ta

ta acida ſcilicèt auferendi, coctionem juvandi, & viſcerum impedimenta inhibendi; præmiſſo itaque leniente ex caſs. pulp. ſemin. citr. corre. ad juſculum ex cichor. gramin. trifol. & ſemin. citr. alteratum, octo, vèl decem dies aſſumendum, accederem, ſupradicto leniente ex caſs. repetito, ad ſerum caprille, per xxx. dies capiendum, cui præmittendus bolus ex pulv. cancr. & raſur. ebor. pp. confectus, advenirem: quibus non faventibus, ad chalybeata, & abſynthiaca, uti ad ſacram Anchoram, properarem, atque inſtitutæ curationi fonte Nuceriano ſupremam manum adducerem, in quo (favente Deo) Probaticam Piſcinam Æger noſter inveniret. Quid dè victus regimine ſuſcipias, tui conſilii eſt, ego admonendi partes, quæ ſunt prudentiæ, non aſſumò, neque plùs ulla in re me duco videre, quàm tu vides, qui ingenio & vales, & excellis, quod eſt benevolentiæ meæ faciam, ut magnoperè rogem valetudini tuæ minùs, quàm honori nè ſervias, quæ quidèm mihi, qui te ſummo proſequor amore, tantæ curæ eſt, ut plurimas meæ ſalutis partes, in tua poſitas, exiſtimo. Patienti noſtro plurimam

mei

mei ſalutem verbis nuncia, quem ſanare cum hæc tentata fuerint omnia, Medicæ Artis eſſe non arbitror, remedia ſunt ab unico illo, quod multis malis medetur, hilaritate nempè animi expetenda, quæ ipſi optimam, ut ſpero, valetudinem aliquandò reſtituet. Vale.

CONSULTATIO XXXVIII.

Prò Mictu Sanguineo.

MUlta Medicinæ, rei equidèm laudandæ, ſtudia, quibus, Vir optime, ac doctiſſime, præclariſſima ingenia olim exercebantur, interijſſe, acerbè ferendum, præſertim hoc, in quo omnis omnibus utilitas eſt, morborum nempè cauſas noſcendi, in quo, vèl quam pauciſſimos, vèl nullum ſupereminere judicandum, quod, ut mea fert ſententia, à difficultate effluit ſumma, quæ in ſummis rebus addiſcendis reperitur, quò enim aliquid eſt excellentius, eò operoſius; non igitùr ſolatiis, non inertia, non mollitie, non nugis, non luſibus, ſed magnis laboribus, & ſudoribus, & vigiliis, immò vitæ periculo emitur virtus; tu itaque cum illa

illa aspernatus, & hæc amplexus sis, virtutis metam assequutus es; ego autèm qualis, & quantus in litteris sim, cum in iis minimam, vel nullam operam posuerim, dicere erubesco, nihil sum inquam, uti ex hac humillima responsione mea cognosces. A' nixu illiciti concubitus renum venula in Patiente nostro, habitus corporis pinguis, & sanguinem abundante, adaperta est, dolor in regione renum, renos ipsos affectos, & effusus sanguis, cum urina permixtus, mictum sanguineum esse declarant, à quo Illustrissimum Dominum liberandi gratia, Medicæ Indicationes erunt, nè in tabem, hydropem incurrat, neque in parte ulcus, aùt alia gravia symptomata excitentur, sanguinem revellendi, & conglutinandi, partemque corroborandi, & constringendi, prò quibus obtinendis, medicaminibus usque adhùc exhibitis comprobatis, pulp. cass. & tamorind. aqu. hord. œnophor. 1. superbib. præmissa, ad sectionem venæ cubiti, & ad jus plantagin. portulagin. urtic. alteratum venirem; dein autumno adveniente decem diebus aqu. lactis vaccini, vèl caprill. exhibita, vaccinum lac, cum quinta parte aquæ plantaginis coctum,

ctum, ponerem in usu, cui succ. congret. urtic. vèl portulac. vèl rotulæ ex croc.mart.adstringentis,sanguin.dragon. corall. rubr. rasur. ebor. matr. perlar. terr. sigillat. semin. papav. alb. sacchar. & aqua plantagin. confectæ præcedant; interim post cęnam conserv. rosar.& antè victum, qui conglutinans esse debet corn. cerv. ustum, vèl aliud ex supradictis assumat. Potus sit aqua lentisc. & exteriùs comitiss. unguentum applicetur. Hæc, quę scripsi, tibi subiicio, ut sanes. Vale.

CONSULTATIO XXXIX.

Prò Dolore Nephritico.

QUam in operoso itinere versentur ii, qui novas, verasque morborum causas cognoscere quęrunt, tibi, Excellentissime Vir, minimè perspicuum esse non arbitror, hoc ipse expertus sum, qui, aliquos eandem causam omnibus morbis attribuere perspiciens, anteà mirabar, mihimet vera, & singularia affectionibus principia constituendi cupido in obscuritatis, & confusionis chaos, nimis adaucta

ćta diligentia, vèl in eundem errorem incidiſse poſteà viſus ſum, qua dè re multas Conſultationes meas, cum hac, tibi, cui aſſidua ſtudiorum cultura, & natura ſimùl hoc tribuere, ut in decernendo emineres, remitto, ut certiorem me facias, quid dè his ſentias, à nullo equidem laudari velim, niſi à te, cui ſumma authoritas eſt. Particulæ terreſtres in humorum maſſa ab erratis in genere victus, & potus cumulatæ, à natura vegeta à minimis renum glandulis in tubulos renales, & ab jis in pupillas adapertas in pelvim, & tandem per urinariam veſicam, & ejus uretram ejiciuntur; ſi igitùr dictum terreſtre principium à natura non eliminetur, sèd in renalibus tubulis, vèl papillis, vèl pelvi, ſalis aliqua portione confluente, moretur, ità concreſcit, ut lapillos efformet, non abſimili modo in Patiente noſtro, habitus corporis ſicci, trigeſimum ætatis ſuæ annum gerente, & à calculoſis parentibus nato, calculus progenitus eſt, qui renum filamenta nervea irritans, & criſpans, fixum dolorem circà lumborum regionem inducit, ac nervo illo compreſſo, qui per lumbares muſculos ad coxam defertur, ejuſque

G mo-

motui inservit, coxæ, & crucis stupor, cumque doloris acerbitate ureteres, simulque vasa spermatica, & omnes vicinæ partes contrahantur, urina vèl tenuis hæc, & pauca ejicitur, & alvi suppressio, ac testium retractio, & tandèm nausea, & vomitus, ob renum connexionem cum ventriculo, per membranam à peritonæo, & per neruum sextæ conjugationis ipsis mutuatam, resultant. Ab hac periculosa affectione, potest enim inflammationem, exulcerationem partis, & alia gravia symptomata adducere, eum liberandi, Medicæ Indicationes erunt, vias dilatandi, ac relaxandi, calculum excludendi, partesque mitigandi, prò quibus obtinendis, clystere emolliente, parato nempè ex fol. malvar. violar. parietar. ol. semin. lin. lilior. vèl violar. butyr. &c. injecto, venam brachii aperirem, quo non proficiente, ex vena poplitis sanguinem emitterem, interim fotus, dolenti parti admotos, ex fol. malv. parietar. vèl placentam ex jis, & ol. lilior. amygd. amar. chamomill. scorpion. & butyr. confectam, & ol. amygd. dulc. cum jure simplici sumendum, vel radic. altheæ, vèl liquirit. alteratum, vel syrup. dè althæa

Fer-

Fernelii, non omitterem. Affectione ulterius procedente, diluto cass. præmisso, venæ hęmorrhoidales aperiendæ, & in semicupium, ex decocto emollientium paratum, Æger demittendus, percrescente dolore, ex quo vigiliæ diuturnæ, ac virium dissolutio dimanant, ad narcotica, uti ad philonium Romanum, vèl ad laudan. opiat. vèl ad syrup. dè papaver. cum aquis lactuc. vèl viol. accederem; his non arridentibus, lithontriptica, ut sunt aqu. saxifrag. fragar. calcitrap. parietar. semin. milii Solis, sanguin. hircin. pulv. mill. ped. lapidis judaicus, nephritic. vèl spirit. vitriol. sulphur. ol. scorpion. Mattiol. sal. stipid. fabar. & alia quorum penè infinitus est numerus, ponerem in usu. Actuali morbo superato, nè Æger iterùm in affectionem hanc labatur, curatio prophylaptica cùm victu humido, & vino oligopharos instituenda; & licèt ad hanc perficiendam Authores multa proponant; ego autèm cùm multos ab hac affectione aqua Anticuli penitùs absolvissem, hanc ei proponerem. Faxit Deus. Valè

CONSULTATIO XL.

Prò Vlcere vesicæ.

IN Consultatione transmissa sagacitatis robur, ingenii lux, & doctissimæ opinionis tuæ clarissima signa, aùt summum theoriæ, & praxis studium effulgent, omnia ab Hippocrate assiduò, vèl à te in manibus sempèr habito acquisita, quem multi exponendo commutant, venustissimas sententias sordidissimis imperitiæ notis deformant, atque præcipiti audacia loquuntur, ab ipso, si nùnc vitam viveret, prò diversa aëris, & naturæ constitutione, omnia sua scripta commutanda; prò quorum falsissimam opinionem rejiciendo, mi amantissime, si Deus cùm vita valetudinem largiatur, Consultationes alias, eo duce, componere, immò si Amicis placebit, omnibus enim placere impossibile est, in lucem edere, & prò his biennium, vèl triennium, aùt plùs temporis si oportuerit, non ad me transferendi laudes, sèd Tyronum gratia consumere, decrevi; at cùm dè futuris non detur certa scientia,

meum-

meumque respondere sit, dè his satis. Sulphureum principium in humorum massa patientis nostri quinquagesimum ætatis suæ annum gerentis, luxurians, in minima vesicæ vascula rejectum, erosionem istorum progeneravit, à qua sanguis primùm effluxit, istius dein aliqua portione, spirituosis partibus amissis, in affecta parte morante, pus genitum est, quod cùm paucum sit, neque multùm cùm urina permistum, graveolens, cumque dolor assiduus, à salibus urinæ continuo stimulantibus exoriens, & in regione pubis sentiatur, vesicæ ulcus esse testatur, quod periculosum est, & curatu difficillimum, immò Admodùm Reverendum Dominum in tabem, vèl hydropem adducere potest; attamèn, ut officij nostri partes impleamus, Medicæ Indicationes habendæ, humores edulcurandi, partem detergendi, & consolidandi, prò quibus impetrandis, cass. cùm pulp. tamarin. & paucis granis mercur. dulc. præmissa, ad syrup. dè terebinth. jus scabios. plantagin. pilosell. fumitat. malv. & capill. vener. alteratum superbib. dein ad bol. ex bol. armen. corall. rubr. terr. sigill. terebinth. & gumm. traga. confect.

cùm eodem alterato jure, & tandèm ad lac vaccin. cùm bol. armen. vèl croc. mart. adstringent. vèl trochisc. Gordon. longo tempore sumendum, venirem; interim injectiones ex aqua hordei, cùm mell. rosac. vèl aqua ferrata cùm alumine, vèl aqua plantagin. cùm spirit. sal. dulcific. vèl aqua calc. vivæ paratæ, & fomenta ex malv. parietar. & Inunctiones ex ol. viol. amygd. dulc. mastic. exerceantur. Victus sit tenuis, & exiccans, & potus aqua salf. parill. vèl lign. guajac. & hujusmodi. Quæ scripsi tibi subjicio Valè.

CONSULTATIO XLI.

Prò Urinæ Incontinentia.

UTi ad virtutes incumbentis viri præclarissima conditio est, sic è contrà ad malas scientias, pessima; tu verò cùm Medicinam, plucherrimam artem, licèt eam immeritò aliqui derideant, ludumque faciant, dilexisses, & perversas artes, à quibus improba consilia nascuntur, odio habuisses, eximia intelligendi, ac medendi vi polles, qua dè rè lætitia incredi-

credibili afficior; doleo tamèn Illustrissimum Dominum, nobiscum familiaritate conjunctum, habitus corporis pinguis, pituita plurimum abundantem, ac senem, urinæ incontinentia laborare, à principio passivo aqueo, in humoralibus fluidis dominante, ortum trahente, & à cibis crudis, & aquæ gelidæ potionibus adaucto, a quo nervis, musculum sphincter, urinæ retentioni per ejus contractionem, & expulsioni per expansionem, inservientem, componentibus laxatis, dicta affectio resultat, à qua cum liberandi, licèt immedicabilis ferè sit; Medicæ tamèn Indicationes erunt, nimiam humiditatem absorbendi, & affectam partem corroborandi, seù constringendi, prò quibus obtinendis, medicamine ex pulp. tamarin. ac decoct. myrobolanor. præmisso, ad syrup. corallor. cùm jure manè sumendum, ex radic. consolid. major. for. plantagin. urtic. pentaphyl. santal. citrin. alterato, venirem; quo non proficiente corn. cerv. ust. croc. mart. adstringent. cùm eodem alterato jure, uterer; & tandèm ad lac, coctum cùm aqua plantagin. accederem. Eclegma sæpè sæpiùs in die sumendum ex bol. armen. terr.

ſigill. ſanguin dragon. croc. mart. adſtringent. & ſyrup. corall. confectum, ſicùt fotum pubi admovendum ex fol. menth. ſalv. origan. abſynt. nucib. cupreſs. aqu. fabror. & vino rubro, & unctiones ex ol. vulpin. rutac. abſynt. confectas miris laudibus tollo. Cibus ſit exiccans, cùm quo pulverem ocul. cancr. & poſt cænam conſerv. roſar. ſiccar. aſſumat. Potus ſit aqua lign. viſc. quercin. vèl fabror. cùm vino rubro. Quæ ſcripſi, tibi, prudentiſſime Doctor, ſubmitto. Valè.

CONSULTATIO XLII.

Prò Dyſuria.

CUm tu me pleniſſimè laudes, vim patior, Medicam Artem tamquàm formoſiſſimam virginem, intactam ab omni labe omninò dilexi; at enim verò cum piger in ea laborandi fuerim, fædatam ignorantiæ maculis aſſequutus ſum, tù verò cum totam ferè ætatem, partìm lectitando, partìm meditando, in acquirenda occultarum rerum notitia, conſumpſiſſes, & laboris, & induſtriæ terminum

num adeptus es, ubertatem nempè dicendi, vim arguendi, & prudentiam medendi, uti ex hac Consultatione transmissa percipio, in qua dicis Admodum Rev. Dominum, habitus corporis sicci, sexagenarium, & salitis cibis utentem, Dysuria laborare, à dominantibus salinis particulis exoriente, quæ, filamenta nervea sphincteris musculi, & canalis vesicæ, ejus mucositate abrasa, irritantes, dolorem progenerant, à quo, & ab urina tenui, & intenso colore exclusa, evidentèr Dysuriam esse, probatur; à quo difficilis curationis morbo eum liberandi, Medicæ Indicationes erunt, debitam mucositatem parti reddendi, ac dictos sales diluendi, prò quibus assequendis, pulp. cass. in aqu.malv. dissolut. præmissa, ac repetenda, cum opus fuerit, jus portulagin. malv. liquirit. alteratum per plurimos dies, & quatuor horis à prandio emulsion. semin. frigid. major. & papaver. alb. & post cænam conserv. malvar. sumatur: clysteres interim ex decoct. herbar. emollient. & ex jis balnea, & semicupia, & iniectiones ex lact. vel aqua malvar. & demersiones penis in aquam tepidam non omittantur: his
non

non arridentibus, lac vel caprillum, vèl asininum, & tandèm minerales aquæ exhibendæ. Victus sit refrigerans, & humectans. Potus leve decoctum malvæ, vèl aqua hordei, vèl liquiritiæ. Vale.

CONSULTATIO XLIII.

Prò Ischuria.

CUm Tù maximi æstimavisses non ea, quæ sensus externos oblectant, ut gemmæ, vasa argentea, & aurea, vestes, & stragula serica, domus lauta, & perelegans, dulcisoni cantus, atque sonus, balsama, nectarei cibi, & hujus generis alia, sed quæ internos, ut cultior literatura, Hippocratis Aphorismi, & aliorum probatissimorum Authorum documenta, summo decore scientiarum omnium, in primis Medicæ Artis, cumulatus es, dè quo Consultatio hæc transmissa certiorem me facit, in qua dicis Illustrissimum, & Excellentissimum Dominum, juvenem, & habitus corporis pinguis Ischuria vexari. Nimius humorum influxus in musculum sphincter, ab equitatione laxatum, ità opprimit, ut

suam

ſuam expanſionem, & contractionem, prò urina ejicienda, efficere nequeat, quæ in vacuitate veſicæ retenta, & eam extendens, dolorem in regione pubis, & hypogaſtrii tenſionem progenerat, à quibus prædictus morbus diſtinguitur, à quo eum liberandi, nè ſerum retentum in totum corpus recurrat, ſanguinem inficiat, ſuffocationem inferat, neque inflammationem parti, & comatoſos affectus inducat, Medicæ Indicationes erunt, urinam excludendi, debitumque parti tonum reddendi, prò quibus aſſequendis, clyſtere emolliente præmiſſo, ac injiciendo cùm neceſſitas fuerit, ſtatim ſanguinis miſſio in vena pedis celebranda, qua non proficiente, hemorrhoidales venæ aperiendæ: dein diuretica larga manu exhiberem, in quorum numero hæc utilia, eſſe cenſerem, aquas ſcilicèt parietar. capill. vener. aſparag. gramin. quas ſyrup. dè quinq. radic. vèl capill. vener. edulcurarem, vèl ſal. prunell. vèl ſpirit. ſulphur. vèl vitrioli acidas redderem; linimenta, ſemicupia, cataplaſmata ex emollientibus, & aperientibus non omitterem. Quæ ſubitò exaravi, obediendi gratia, tibi, vir prudentiſſime, ſubmitto. Valè

CON-

CONSULTATIO XLIV.

Prò Chlorosi.

SUmmum decus consequi ferè omnes optamus, curas autèm, ex quibus veluti ex fonte illud emanat, vel pauci, vèl nullus amore prosequitur, & si aliquis eas diligat, cùm ad malum finem, ad ambitionem nempè dirigat, quæ altissimæ virtutis fundamenta prosternit oleum, & operam perdit; cùm igitùr sinè sapientia vera laus attingi non possit, huic omnia, quæ ad benè agendum instrumenta sunt, adjungenda, hoc, præclarissime vir, cùm egisses, immortalitati, omnibus amicis tuis gratissimum, te commendavisti; doctissimæ igitùr Consultationi tuæ respondere me tædet, attamèn urbanitate tua nixus, dico, fructus immaturos, aquæ gelidæ potiones, quibus manè, & serò Illustrissima Virgo vigesimum primùm ætatis suæ gerens annum, utebatur, passivum aquæ principium in humorum massa adauxisse, quod cùm filamenta vasorum nervea laxavisset, cumque hæc motum perfectum fluentibus humoribus haud

haud donent, in minimis obstructiones vasculis productæ sunt, in faciei inquam, & pallidus color, & subalbidus, & inflatio quædam, seù intumescentia, in crurum, gravitas, & lassitudo, in uteri, & menstrui suppressio emanavit, hoc in massam sanguinis delatum, & effervescens pulsum celerem, ad cor, ipsumque irritans palpitationem, ad hypochondriacas partes, & effervescens earumdem intumescentiam, ad diaphragma, & comprimens, & convellens difficilem respirationem, ad caput, & opplens, diuturnum dolorem, & gravantem, animales spiritus inficiens, somnum gravem, atque profundum, & ad alias partes, alia symptomata, à te diligentèr exarata, producit. Ab hac affectione, quæ ut plurimùm periculo vacat, nisi negligatur, quo in casu scirrhi, alii tumores, vèl febres longæ, hydrops, & alii graves morbi evenire possunt, eam liberandi causa, Medicæ Indicationes erunt, humores volatiles reddendi, obstructiones, & superfluitates auferendi, ac omnes partes corporis, prçsertim viscerum corroborandi, prò quibus assequendis, præmisso medicamine ex manna, & infusione rhabarb.

barb. parato, aquæ Teĉtuc. lib. ij, vèl iij. superbibendo, ad syr. dè cichor. cum duplic. rhabarb., & jus ex cichor. famar. capill. vener. artemis. matricar. & semin. citr. alteratum venirem, deìn dicto medicamine ex mann. cum alijs repetito, bol. ex cremor. tartar. sal. absynt. rhabarb., & syr. cichor. confectis per plurimos dies cum eodem alterato jure uterer; dein ad jus turrial. columb. ex radic. chyn. salf. parill. elect. carn. viper. & limatur. chalybis alteratum gressum peragerem, & hoc jus bolis ex rhabar. sal. absynt. & electuar. lenitiv. octavo quoque die interciperem. Quator horis á prandio decoctionem herbæ theæ cum elixir propriet. Helmontii, & antè cibum, qui boni succi esse debet stomaticum specificum Poterii, & vinum chalybeatum exhiberem. Jis non arridentibus, fac si licitum erit, ut cum validissimo Viro jungatur. Vale.

CON-

CONSULTATIO XLV.

Prò suppressione mensium.

TE à pueritia Medicę Artis studio totum dedisse, transmissa Consultatio tua declarat, atque in dies clariorem virtutem tuam significat, nàm ad medicamentorum usum, quo vales plurimùm, notitiam addis doctrinæ, qua dè re spero fore vel Æsculapius, vèl Hippocrates brevi ut existas, tibi igitùr ut paream tenuissima consilia hæc, ex animo inculto meo deprompta, remitto. Animi pathemata, quibus pulcherrima virgo decimum septimum agens annum, temperamenti sanguinei, & habitus corporis pinguis, vexata fuit, partes volatiles sanguinis consumpsere, ac terrestres dominium adeptæ sunt, hæ humores torpidos reddentes, eos præsertim, qui per hæmorrhoidales uteri venas menstruatim ejiciuntur, suppressionem mensium generavere; pallidus faciei color apparens, à menstruis purgationibus in massam sanguinis retrocedentibus, ipsamque inficientibus, lumborum dolores, & gravitas,

tas, & pectoris angustia, & alia incipientia symptomata, à te diligentèr explicata, ab iisdem purgationibus, in venis uteri retentis, ipsasque opplentibus, inficientibus, ac distendentibus, aliasq; partes per consensum contrahentibus, exoriuntur; ut jis igitùr occurratur, nè tumores, abscessus, ulcera fiant in parte, neque febris, cachexia, hydrops, melancholia, & alii non pauci morbi succedant, Medicas Indicationes haberem, humores volatiles reddendi, obstructiones auferendi, & per consequens menstrua promovendi, prò quibus assequendis, præmisso aliquo leniente, larga sanguinis missio in vena pedis celebranda, dein jus ex cichor. fumar. capill. vener. & aliis hujusmodi aperientibus paratum, octo, vel decem diebus capiat ægra, ac medicamine ex pilul. dè tribus cum rhabarb., & electuar. diatartar. repetito, ac repetendo, cum opus fuerit, decoct. ex radic. apii fæniculi. petrosell. asparag. rub. tinctor. cichor. & parvo sacchar. confectum, per triginta dies, ponerem in usu: huic non arridenti pilul. ex rhabarb. cremor. tartar. sal. centaur. minor. extract. sabin. & syr. cichor. vèl trochisc.

dè

dè myrrha præmitterem, & tandèm chalybeatis uterer: interim venter, & inguina decoct. ex radicib. lilior. valarian. petrosell. foliis artemis. sabin. malv. mercurial. & flor. sambuc. foveantur, vel semicupium ex jisdem, vèl soffitus ex vapore ejusdem decocti fiant, & frictiònes, vèl cucurbitulæ siccæ in partibus infernis exerceantur. Victus sit facilis coctionis & sal. absynt. conditus, & vinum chalybeatum: jis, & aliis, quę debita methodo addes, si Patiens omni lepore pascatur, integra erit valitudine. Faxit Deus. Vale.

CONSULTATIO XLVI.

Prò Fluxu mensium immodico.

CUm multa in immensitate naturæ tenebris involvantur, quæ non ab jis extrahuntur, qui bestiarum similitudinem assequuntur, quæ solùm ea, quę calce premunt, atque edunt, aspiciunt, sed ab jis, qui ab ineunte ætate ad optimas artes perscrutandas animum contulerunt, atque præstantissimo ornati sunt ingenio, hoc in numero te esse etiàm, atque etiàm perspicio, qui licet vigesimum

quintum vix agas annum, qua ætate aliqui non dùm principia Medica attingunt; in his tamèn dominaris, undè retrusorum curationem morborum summæ laudi tuæ, atque Ægrotantium levamini assumis, quorum unus fluxus mensium immodicus esse mihi videtur, quo Illustriss. & Excellentiss. Domina, unde vigesimum agens annum, temperamenti sanguinei, & habitus corporis gracilis, vexatur, prò quo hæc sentio. Principium terræ passivum ità in sanguinis massa esse debet, ut debitam ei consistentiam largiatur, qua deficiente, nimis fluida evadit, & qua data porta ruit; in nostra igitùr Patiente, ciborum, & aquarum exquisitas delicias appetente, in quibus terræ paucum, vèl minimum existit, ejus sanguis fluidissimus evasit, undè hæmorrhoidalibus uteri venis, prò sanguine menstruo ejiciendo, adapertis, ità per has effluit, ut dictus morbus progeneretur; difficilis tolerantia, virium lapsus, & pallidus color, à dissipatione spirituum proveniens, hanc affectionem esse testatur, à qua eam liberandi, nè in cachexiam, & tandem ad mortem labatur, Medicas Indicationes haberem, consistentiam sangui-

gui-

guini reddendi, partes corroborandi, ac fluxum revellendi, prò quibus assequendis, præmisso leniente ex cafs. & pulp. tamarind. cum infusion. myrobolan. parata, missionem sanguinis in vena brachii celebrarem; dein jus ex plantagin. millefol. portulagin. consolid. major. urtic. per plures dies adhiberem, hoc non proficiente, ad succos, vèl extract. istarum herbarum cum jure simplic. sumenda, vèl ad syrup. corall. rubror. venirem, & tandèm lac vaccinum coctum, vèl chalybeatum ponerem in usu. Pubis, ac lumborum regio decoctione ex corticibus granator. fol. plantagin. equisit. burs. pastor. nuc. cupress. in aqua ferrata, & vino austero parata foveatur; postmodùm linimentum ex ol. mastic. cydon. myrtin. succedat, vèl suffitus ex thur. mastic. vèl nuc. cupress. vèl myrt. fiat. Victus sit crassus, cum quo pulv. corall. rubror. vèl bol. armen. & post cænam conservam rosarum exhiberem. Potus sit aqua lign. lentisci cum vino rubro. Faxit Deus. Vale.

CONSULTATIO XLVII.

Prò Furore vterino.

TU Excellentissime Doctor ità polles ingenio, ut non ea imitaris, quæ alii scripsere, sèd ea scribis, quæ alii, nèc viderint, nèc excogitaverint; ego autèm ut Consultationibus tuis responsa remittam, omnium ope cum indigeam, hoc tibi in memoriam redigo, non maxima solùm, sèd tenuissima etiàm urbanissimis viris grata esse, me inquam cum adæquata tibi, eximia quadam intelligentia, & cognitione valenti effundere lateat, dè his imperitissimis, prò eis eruditissimis, quæ respondere voluerim, bene mereri te obsecro. Salsum principium in semine Patientis nostræ, temperamenti sanguinei, ac biliosi, vigesimum ætatis suæ gerentis annum, cibis euchymis, & aromatizatis continuò utentis, amiso spiritu, exaltatum est, quod filamenta nervea seminalium vasorum immodicè irritans, spirituum animalium influxum ad genitalia impellit, ipsaque quodammodò inflammantur, cumque animales spiritus

ritus ad cerebrum refluentes, ſenſationem hanc internis ſenſibus referant, atque lædant, effrænatus coëundi appetitus, cumque tumultuariè, ac ſinè lege in diverſas corporis partes, muſculos præſertìm linguæ excurrant, impuri motus, & ſermones,& agitationes cordis,& pulſus emanant, à quibus uterinus furor, uti à te dicitur eſſe, conſtituitur, à quo eam liberaudi, nè diutiùs perſeverans firmas agat radices, & in veram maniam pertranſeat, neque febris hectica ſuperveniat, & incurabilis penitùs evadat, Medicæ Indicationes erunt, dictum principium peccans diluendi, humoreſque edulcurandi, prò quibus obtinendis, clyſtere emolliente præmiſſo, miſſionem ſanguinis in vena brachii celebrarem, quam in pede; neceſſitas ſi urgeret, repeterem, dein lenitivo aliquo medicamine exhibito, jus ex fol. nymphеæ, lactuc. portulac. & umbilic. vener. paratum, ſicùt emulſiones ſeminum quatuor frigidorum majorum, lactuc. agn. caſt. & papaver. alb. propinarem; jis non proficientibus, ad ſerū lactis, & lac aſininum, & tandèm ad aqu. Nucer. uſum venirem. Pubi, perinæo, & lumbis lenimenta

ex ol. nympheæ, vèl unguent. rosac. vèl refrigerant. Galen. admoverem. Frictiones, vèl cucurbitul. siccas in partibus infernis, & suffitus, & semicupium, vèl balneum ex fol. lactuc. malvar. nympheæ, portulac. viol. & hujusmodi paratum ponerem in usu. Victus sit refrigerans, & humectans. Potus aqua hordei, vèl vinum oligophoros. Faxit Deus. Vale.

CONSULTATIO XLVIII.

Prò Sterilitate.

MOrs omnibus una, uti quotidiana docemur experiētia; qualitates autèm, quibus homines afficiuntur, diversæ; aliqui enim quidquid agūt, quidquid laborāt, quidquid cogitāt, omnia ut omnibus circumfluant copiis intendunt, alii verò solùm ad virtutē sua conferunt studia, ut honoribus ab ista enascentibus cōdecorentur; primorum vita deficiente, deficiunt omnia, alterorum virtutis laudi nomen inseritur, quod neque fortis audacia, neque inimicorum offensio delebit, immò vetustas ipsa magis, magisque illustrabit; virtute, virtute inquam continuò

tinuò Consultationum studio, prudentissime Vir, fac ut orneris, ac dè te loquetur posteritas, perinde, ac si viveres; in una istarum dicis, Illustriss. Dominam, temperamenti frigidi, & humidi, habitus corporis pinguis, vigesimum quintum ætatis suæ annum agentem, cibo humido, & aquæ potionibus utentem, Infæcunditate jàm usque ab anno decimo torqueri, cujus causam principium aquæ passivum in venis, & glandulis uteri dominans esse arguo, hoc enim vitales spiritus immissi seminis à viro, cicatriculam in ovo existentem fæcundandi, ovumque generationi aptum reddendi causa obruens, dictum affectum progenerat, à quo eam liberandi, Medicas Indicationes haberem, humiditatem absorbendi, partemque corroborandi, quas cum sit juvenis, menstrua ordinatis periodis habeat, ac nulla labe afficiatur, spero fore secundas; universali igitùr purgatione præmissa, decoct. ex salf. parill. elect. lign. lentisc. visc. quercin. betotonic. salv. cum pulv. viperin. vèl sal. succin. sumendam, ponerem in usu, quibus non proficientibus, ad thermas sulphureas, vèl ad balnea, ex fol. matric. puleg.

rorismarin. spicanard. & radic. imperator. bryon. valerian. & hujus generis aliis, parata, venirem. Abluere partes putendas aqua meliss. rorismarin. maioran. inungere pubis regionem, ac perinęi ol. nardin. myrtin. moscatellin. vèl balsamo indico, innocent. & tempore coitus viri penis zibeta, iniectiones ex myrr. lign. aloes nuc. cupress. fol. myrt. dictã. cretic. radic. cyper. calam. aromatic. & vin. rubr. suffumigium ex lign. aloes, rhodii, caryophyl. mastic. trochisc. gall. moschat. alipt. moschat. & pessaria ex trochisc. gall. mastic. thur. nuc. cupress. calam. aromatic. aqu. fol. querc. vèl flor. arant. vèl tintur. corallor. cum panno lineo raro s. a. parata, eorumque apice ol. nardin. vèl nuc. moschat. priusquàm immittantur illito, commendarem. Jis, debita methodò agendis, nè inflammatio superveniat, victum exiccantem, non nihil aromatizatum, & sale, tùm ex vegetabilibus, tùm ex animalibus abstracto, conditum adjungerem. Vale.

CON-

CONSULTATIO XLIX.

Prò Hysterica Passione.

SUperioribus diebus domum meam cum peterem, Consultatio tua mihi tradita fuit, solertèr scripta non solùm in theoria, in quo non minima laus est, sèd etiàm in praxi, quod cum soleat à plerisque longè abesse, qui solùm in loquacitate, atque in quibusdam vulgaribus, ac penè puerilibus ineptiis constituti sunt, non solùm laude, sed admiratione dignum est: ex signis ergò vir doctissime diligentèr exaratis, atque undequaque perspectis, morbum, quo Illustrissima Patiens excruciatur, hystericum esse facillimè cognoscitur, prò cujus immediata causa, salsum principium summè activum, atque exaltatum accuso, à quo irritatis, atque convulsis omnium filamentis nervorum, abdominis nempè, præcipuè paris vagi, undè humoribus nativo motu minimè fluentibus, ventris tumor ad superiora præsertìm manifestatur, cordis, & sic habito in ipsomet spasmo, & sanguis cum nō eodē rithmo recipia-

cipiatur ab ipso, & ab ipso non propellatur ad arterias, palpitatio ejusdem succedit; difficilis respiratio, ut strangulari videatur, faciei rubor, aurium tinnitus, pulsus tardus, sicùt & alia symptomata ab eadem convulsione nervorum, atque sanguinis quodammodò impedita circulatione exoriuntur. Ad prognosim, & curationem quod attinet, licèt spissum opus, ac difficile sit, attamèn cum Magistro meo Fossombrono, qui omnium virtututum genere florescit, atque in Re Medica hisce nostris temporibus facilè Princeps, cui insertos habeo Michaël Angelum dè Paulis, Hyacinthum dè Piscibus, Dominicum Gagliardum, atque Cyriacum Severinum, dùm quæ sunt ad opus nostrum necessaria, quorum aliis alia desunt, in his abūdant omnia, ingenium, praxis diuturna, doctrina, atque judicium, paucis absolvam; in paroxismo igitùr istius morbi, qui raró interficit, solet tamèn diuturnus esse, ligaturæ dolorificæ infernis in partibus, tùmque frictiones, & cucurbitulæ coxis celebrentur; plantis pedum cataplasma epispaticum, ex fol. artemis. matric. rutæ salv. thur. mastic. & similibus paratum, adhibeatur;

nari;

naribus tædita, & graveolentia, ut plumæ perdicum combustæ, vetera coria usta, & sulphur accensum, spiritus fuliginis, succini, assa fœdita, castoreum, & ruta admoveantur; clyster lassans injici potest, sicùt etiàm, si patiens deglutire poterit, aqua hysterica Quercetani, cum castoreo, vèl aqua melifs. matric. administretur. A' paroxismo discussa, electivam purgationem instituerem; præmisso igitùr leniente ex ol. amygd. dulc. vèl cafs. pulp. semin. citr. correp. habito respectu irritationem, & contractionem nervorum auferendi, sanguinem abluendi, & fermenta viscerum confirmandi, ad jus parnæ pullæ hordeo germanico repletæ, alteratum foliis melifs. borragin. buglofs. absynt. per xxx. vel xxxx. dies sumendum, accederem, cui bolum, ex rasur. ebor. matr.perl. corn.cerv. ust. vèl ocul.canc.pp.confectum, præmitterem; quibus prisca valetudine non succedente, tùnc ad usum lactis, per longum tempus sumendum, advenirem. Victus ratio sit mediocris, parcè vino utetur, & sit chalybeatum; pulentæ sale absynt. condiantur; aromata, acida, acria, & impensè salsa uetentur. Hæc, quæ raptim

scripsi,

scripsi, non te admonendi, neque docendi, sèd obediendi gratia mitto, ut altiori judicio submittantur; interim obsecro te mi N. N. largiri hoc, vèl meæ in te observantiæ, vèl amori tuo ergà me, omninò Consultationibus tuis nè caream. Humanitatem tuam, atque prudentiam, quas sæpè sæpius audivi in te esse miris laudibus extollo, quarum una tibi ab infirmis amorem, altera ab hominibus honorem conciliavit, ad has perge in dies, tuamque valetudinem magnoperè rogo ut cures. Vale.

CONSULTATIO L.

Prò Erysipelate.

QUod, Illustris Vir, virtutis genus præferatur in Urbe, quodque postponatur, cum unumquodque suos amplissimos dignitatis gradus habeat, hic disputatio haùd instituenda; Medicinam tantùm, cum mea intersit, agitare decerno, hanc assequendi causa, cum in sede posita sit, maximis difficultatibus à natura circumdata, paucissimis donatur facultas, eis antèm, quibus datur, propositum

præ-

præmium ſunt laudes, dignitates laudibus acquiruntur, dignitates Populus conſtituit, Populus Primates habet, Primates dominantur in Populum, dominari, à virtute natum, felix vivere adducit; tù igitùr hæc Romam venturus, cum doctrinis, iudicio, prudentia concinnatus, atque laboribus deditus ſis, credo fore ut aſſequaris; perge itaque hùc, mi amantiſſime, etſi aliquid eſt, in quo meam requiris operam, certiorem te facio, me tibi totum eſſe addictum: dè affectione verò quid ſentiam, qua Illuſtriſſimus Dominus, temperamẽti ſanguinei, habitus corporis pinguis, annos decem circitèr natus, laborat, ſtrictim dico, affectum eſſe Eryſipelatoſum, à ſtagnante ſanguine provenientem; ſanguis igitùr nè ſtagnet, nèc excedere, nèc dificere debet, ſi enìm excedit, vaſorum fibræ debitam ei, reſiſtenti, ſi deficit, æquam preſſuram eidem dare nequeunt, atque in utroque caſu tardus evadens, in minimis moratur venis, atque Eryſipelas generatur; in faciei itaque vaſis patientis noſtri reſtagnante ſanguine, dictus affectus productus eſt; partis inflammatio; ac febris ab activorum efferveſcentia principiorum, intumeſcentia à con-

confluente ſanguine, dolor cùm à diſtentione nervearum fibrarum, tùm ab iſtarum irritatione, à principio ſulphureo, atque ſalino exaltato, emanans, dictum morbum eſſe declarat, à quo eum liberandi, nè meningum inflammatio, vel alii morbi cephalici ſuperveniant, neque nimis morante ſanguine, pars ſulphurea exaltetur, & ſuppuratio, & deformitas ſuccedat, Medicas Indicationes haberē, ſanguinem edulcurandi, eique motum reddendi, & ad partem fluxum inhibendi; prò quibus obtinendis, præmiſſo clyſtere emolliente, ut externetur morbus, neque ad humorum maſſam feratur, aliique graviores morbi generentur, largam ſanguinis miſſionem in ſcapulis, & dorſo cucurbitulis celebrarem; deìn ſanguinem hircinum cum camphora, vèl corn. cerv. philoſophic. vèl hujus generis alia commendarem, manè cum jure ex ſonc. limatur. corn. cerv. ebor. & ſeminib. citr. alterato, & antè victum, qui tenuis, & facilis coctionis eſſe debet, ſumenda. Parti, balneis, & unctionibus ſpretis, pellem leporis tantùm admoverem, tranſpirationem enim, ac motum ſanguinis blando calore ſuo coadiuvat. Frictiones interim per

uni-

universum corpus haud omitterem, & aquam hordeo,& limatura corn.cerv.paratam, prò potu juberem. Ægro ab affectione hac liberato, methodicam purgationem instituerem, quam curans Medicus prospiciet, cui salutem meis verbis nunciabis. Vale.

CONSULTATIO LI.

Prò Erysipelate.

QUanti unicus Filius regali in domo, vèl picturæ,statuæque mirabili perfectæ opere autographum, tanti à me cōsultatio transmissa tua existimatur;subtilissimū enim ingeniū tuum intento animo intueor, & maximoperè diligo, quadè re hanc,ut memoriā tui conservē, atq; exemplum in scribendo sit mihi, diligentissimè custodiam. Salsum principium in humorum massa Adu.Rev.DD.senis fortis,ac robusti,cùm temperamento sui sicco, tùm pauci, salitìque cibi usu adauctum, dominans, ad minima cruris dexteri vasa delatum,& nerueas eorum fibras arrugans,perfectam sanguinis circulationem impedit, undè morante sanguine

Ery-

Erysipelas oritur, quod & febris ab effervescentia salium in massa sanguinis, & dolor partis ab eorumdem salium irritatione, ac rubeus tumor ipsiusmet partis, à stagnante sanguine ortus, & alia symptomata in schedula relata distingunt: ab hac igitùr affectione eum liberandi, Medicas Indicationes haberem dictum principium edulcurandi, liquidoque motum reddendi, partemque corroborandi, prò quibus assequendis, emolliente præmisso clystere, ac necessitate urgente, repetendo, venam sinistri poplitis secarem, cui non cedente morbo, è toto corpore cucurbitulis sanguinem emitterem. Jus ex fonc. limatur. corn. cerv. alteratum, vèl stillatum ex aqua hord. succ. depurat. cichor. borrag. pom. redolent. rasur. corn. cerv. lact. asinin. cum corn.cerv.philosoph.matr.perlar.sanguin. hircin., & ocul. cancr. pp., mane quatuor horis à prandio sumendum,& lotiones partis ex aqua flor. sambuc. vèl vin. alb. in quibus vèl pulv. ocul. cancr. pp., vèl corn.cerv.philosoph. infusus esset,juberem, atsi tumor propter exaltationem principii sulphurei ad suppurationem tenderet, ad Chirurgi opus venirem,quo in casu vulnerariis remediis,

mediis, & balſamicis uterer. Victus ſit humidus,& facilis coctionis. Potus aquæ hordei, & limatur. corn. cerv. Faveat Deus. Valè.

CONSULTATIO LII.

Prò Lue Gallica.

Cum totum id, quod reſpondendum eſt Conſultationibus tuis, ex tranſmiſſa ſchedula collectum, atque depromptum ſit, brevitèr abſolvere impellor; tù enim is es, qui hoc in uſu, atque hoc in ſcribendi genere, tùm quod continua in praxi verſaris, tùm quia theoriæ ſtudiis totus hæres, penè ſolus excedis. Contumaciſſima lue Gallica vexatur N. N. nèc me in hac ſententia dolo mea capit opinio,cum gonorrhæa tribus menſibus perlata, puſtulæ, tumores in facie,& in parte ſuperiori frontis,atrociſſimi articulorum dolores, febris lenta,cum totius corporis emaciatione, nocturna vigilia, atque inappetentia teſtimonium perhibeant; prò cujus immediata cauſa virulentum fermentum, in venereo concubitu adeptum, arguitur eſſe, à quo ſeminalibus

capsulis, & urinario musculo, depravatis, lapsus purulenti seminis per uretram, sphinctere haud impediente, successit, undè omnia corporis fluida, & præsertim glandularum succi, media circulatione, acorem contraxerunt; hæc itaq; labes particulis salsis, atque sulphureis magnopere abundans, à sanguine per vasa in peripheriam corporis delata, & cutim erodens, sub pustularum forma comparuit, ab hac eadem facta humorum congerie, acidis particulis, & irritantibus abundantium, dicti tumores, & dolores emanarunt, sic etiàm in massa sanguinis per diversam salium effervescentiam febris, à qua succo nutriēte abraso, emacies corporis, & succus nerveus à particulis acidis exaltatus, principium nervorum irritans, animales spiritus cogit, ut in nervos appensos irradiant, à quo vigilia contumax, & tandèm à vitiato fibrarum tono, quibus ventriculus intexitur, atque firmatur, & enervato ejusdem succo, inappetentia oborta est. In curatione istius morbi, licèt difficillima sit, cum Patiens noster natura gracillimus, & viribus destitutus existat, attamèn cum ætate florescat,

spes

ſpes aliqua ſanitatis effulget, Indicationes erunt, virulentum characterem per ſenſilem tranſpirationem, tamquàm tutiorem, vèl per alias vias, & emunctoria, ſi à natura patefiant, expellendi, & extinquendi, quo obtento, ſanguinis, aliorumque humorum maſſa edulcuratur, irritamenta, & præternaturales efferveſcentiæ rapiuntur, & per conſequens totius corporis compago in naturalem ſtatum perducitur; præmiſſo igitùr medicamine vèl diatart. vèl mell. roſat. ſol. cum ſenæ decoct. vèl huiuſmodi, catharticis, & unctionibus mercuri. abiectis, nè in peius ruamus, in uſu ſit per octo, vel decem dies jus cich. ſonc. lapath. acut. endiv. fumar. & ſemini. citr. alteratum, & facta denuò primarum viarum, expiatione, ad decot. per xxx. vèl xxxx. dies ſumendum, accederem. paratum nempè ſalſ. parill. elect. dr. vii. lign. viſc. quercin. dr. ii. ſantal. citrin. dr. i. raſur. ebor. dr. ii. aqu. fontis lib. iiii. infund. horis xii. dein bulliant lento igne, & addatur in principio carn. vitul. non pinguis unc. iii. in fine agrimon. cichor. arthemis. a. parum c. ad unc. vi. bis in die, manè præmiſſo bolo, vèl extract. lign. ſanct. vèl ſal. card. benedict. vèl tro-

chisc. viper. parato, & quatuor horis antè cænam, cum elixir propr. Helmont. Octavo quoque die pilul. mercur. & electuar. lenit. expietur alvus, quo non juvante, ad aliud decoct. ex antimon. crudo, salf. parill. putamin. nuc. confectum, accederem, quod si non arrideat, fac ut Neapolim se conferat Æger, præcipuè ad sicca Puteolorum balnea, quantum levaminis sit in hujus Cæli mutatione, concurrentibus simùl optimis istius Urbis Medicorum consiliis, in multis Ægrotantibus expertus sum, se ipsum quoque, ni fallor, hoc uno maximè sentiet sublevari, cum hoc tamèn nè in meridianum Solem se mittat, multò minùs ad ventum, qui erit immitis, sed ad leves auras, quarum spiritus non solum est hominum generi secundus, sèd etiam vitalis, sed nihil aget, nisi jucundè vivat, & ex animo suo repellat siqua tristis eventus habitet nubes. Victus sit facilis coctionis, caveat ab acribus, acidis, & salsis cibariis. Potus sit aqua salf. parill. Vale, & Patienti nostro plurimam salutem.

CON-

CONSULTATIO LIII.
Prò Febri Maligna.

ILlustriss. Dominus, Dñus Abbas N.N. omnes ut rectum, & salutiferum iter amplexarentur amore, judicio, sententiis commonefaciens, dè Moderatore summi Olympi, divinisque rebus eruditionem continuò, ac diligentissimè quærens, quam cunctis opibus, laudibusque antepoſuit, cui omnem vitæ rationem inservit, patent ejus virtutes, patent ejus beneficia in Christi Ecclesiam, diligunt eam multi ob doctrinam, æmulantur ob integritatem; æstimant ob urbanitatem, præsertim ob candidam indolem ab omni ambitione, ac veneno longissimè distantem, prosequuntur cum ad res præclarissimas natus homo sit, in Febrem incidit Malignam hac tempestate Urbem invadentem, à principiis salsis, atque sulphureis, ob summum frigus superiorum mensium, à natura non eliminatis, exorientem, quæ in massa sanguinis præternaturalitèr effervescentia, febrem, humores coagulantia, sivè fibras nerveas corrugantia, eorumque perfe-

ctam circulationem impedientia, pulsum inæqualem, pectoris oppressionem, capitis, & corporis dolorem, & hebetudinem, humiditatem à salivalibus ductibus abradentia, summam sitim progenuere; ad huius ergò curationem accersitus, indicationes habui, dicta principia dilvendi, ac excludendi, congestiones auferendi, putredinem inhibendi, & partes in primis caput, à studiis lacessitum, corroborandi, prò quibus debita methodo impetrandis, medicamentum ex pilul. dè agaric. & succin. Craton. & aliis confectũ præmisi, quo feces per aluum uberrimas solutas, & viscidas deiecit, & in melius æger se habuit; dein jus singulo manè sumendum ex cichor. sonc. radic. controier. limatur. corn. cerv. & semin. citr. alteratum, emulsion. semin. melon. ex aqu. scorzoner. card. benedict. vèl simplic. jur. cum sanguin. hircin. horis medicis, frequentes clysteres, potiones aqu. hord. & limatur. corn. cerv. bolos ex confection. hyac. alb. diascord. Fracastor. cum bezoar. occidental. sudore quodam apparente, & cordialibus aquis sæpè sæpiùs præscripsi; undecimo die morbo adhùc instante, petechialibus maculis exorientibus, torpore capitis crescen-

scen-

ſcente, atque ægro intèr malleum, & incudem verſante, Foſſombronum omni virtute inſtructum, ad unguem omnia explorantem, primū gradum in Re Medica obtinentem, nullum officium, ſivè ſtudium, quod ad meam utilitatem, & gloriam pertinet, omittentem, cui à me deberi libentèr omnibus confiteor, aduocavi, ut ſuis eruditiſſimis verbis, & conſiliis frveter, atque jis continuam ſitim explere mihi liceret, neque parva virtus mea, quę ab hoc fonte manavit naufragium pateretur; doctiſſima igitùr conſultatione ſua indicationes habitas, & quę patrata erant non ſolùm approbavit, ſed etiàm continuari mandavit, & eius juſſu quatuor veſicatoria applicata fuere, & infuſionem lapid. hyſtricis in aquis ſcorzoner card. ſanct. cum elixir propriet. Helmont. adhibuimus, his ſupradictis dilutis, aliiſque diureticis in poſterùm conſcriptis, ad diureſim, ob criſim faciendam, uti accidit, propendente natura, omninò Patienes à febre liberatus fuit, ut autèm curationem perfectam redderemus, leniens ex caſſ. prę. ſcripſimus. Valè diù mi Abbas, & virtutem ſequere, quod ut agas ob innatam propenſionem tuam in hanc, plurimùm

I 4 admo-

admonendus non es,ut eosdem immortales honores,quibus Majores tui condecorati fuere, assequaris.

CONSULTATIO LIV.

Prò Tertiana Simplici.

ME equidèm præterit plùs nè gaudii, aùt tristitię ex transmissa scheda recipiam; est enim jucundissimũ mihi, cum, me à te amari, & te dè amore meo ergà te gratulari, perspiciam; hinc Consultationem tuam, humanitate plenissimam, & benevolentia,suavissimè perlego,cum verò,te Tertiana simplici duobus mensibus vexatum esse, & vexari, peraudiam, ità patior, ut miserè vivam,sed utinàm consilium meum plurimi fecisses,te,quo non est mihi charior alter, aëri abesse, admonens, isti,facilè in hunc morbum minimè incidisses, aër inquam, quo non peior, crassis, viscidisque particulis exuberans, quæ respiratione media in sanguineam massam delatæ, torpidam reddiderunt eam;undè tùm ex salsis particulis,in cutis miliaribus glandulis morantibus,ob trãspirationem,qua natura his salibus spoliatur,

tur, præterlapſo æſtatis tempore, ſudoris cohibitam, tùm ex viſcidioribus, ſivè terreis chyli partibus, ob fermentorum digeſtivorum defectum, non perfecte elaborati, in meſenterii venis ſtagnantibus, & putreſcentibus, ortum trahere opinor, undè & illæ, & iſtæ tertio quoque die, ad irritationis gradum adauctæ & cutis, & meſenterii membranas pungentes, rigorem primò progenerant; dein ad ſanguinis maſſam revectę, & pręternaturalitèr efferveſcentes intenſum calorem, acrem, atque mordacem inducunt, ex quibus febris, ex hac eadem irritatione, & diſtentione ab efferveſcentia, in membranis meningum peracta, capitis proficiſcitur dolor, cum ſiti conjunctus, à denegato in ſalivales glādulas humidi influxu proveniente. In curatione iſtius mali, quod licèt diuturnum, juvenili tamèn ætate tua conveniente, ad ſalubritatem deventurum exiſtimo, remediis uſque adhùc adhibitis do munera laudum, deincèps intermiſſionis die electuar. diatart. vèl meliùs pilul. dè trib. cum rhabarb. præmiſſis, & octavo quoque die repetendis, habito reſpectu fermenta digeſtiva acuendi, congeſtiones, humorumque labem eripien-

piendi, & corpus nutriendi, singulo quoque manè alterato jure cichor. absynt. centaur. minor. card. benedict. utere, cui tamèn bolus ex abstracto, chyn. chyn. rhabarb. & sal. tartar. confectus anteeat, quibus minimè opitulantibus antefebrif. adhibis, paratum scilicet ex radic. tormentill. dr. ss. chyn. chyn. dr. ij. lign. aloes scr. j. sal. armoniac. gr. x. pulveriz. & cũ syr. dè cichor. compos. f. b. numero viij. quorum duo capiat manè, duo antè prãdium, duo in accessione, & duo antè cęnã; hoc medicamine solo pluries, & præsertim accessionis die repetito, ut ego unà cum Hyacintho dè Piscibus, integerrimo Viro, & in Re Medica excellentissimo, observare potui, contumacissimæ, ac penè insanabiles Tertianæ Febres domantur; quo in te, Vir optime, ut cupio peracto, præcipuè si ad puriorem aërem te conferes, ad jusculum turrialis columbæ, hordeo germanico repletæ, & cichor. alteratum longo tempore venies. Alimenta sint facilis coctionis, & sal. absyn. condiantur. Vinũ sit chalybeatum, & esse animo hilari valdè juvabit. Hæc pauca tibi audẽter præstiti, & concisè, nè tibi molestus sim, quæ deficiunt ex doctissimis tuis ad me

me Conſultationibus miſſis facilè abripere potes; interim ad ſanitatem, quę deficit, te obnixè incumbere deprecor, quod factum eſſe tùnc perſpiciam, cum temporibus aureis redientibus, debita Epiſtolis præmia perſolveris.

CONSULTATIO LV.

Prò Hectica.

VAldè equidē diſcrucior Hectica Febre Illuſtriſs. Dom. affectum intelligens, probum Virum, mihi arctiſſimo amicitiæ vinculo adnexum, omnium honeſtarum artium, & litterarum ſcientia eruditum, & quia eum indelebilem in mente conſervo, mehercule ſuis meritis, Conſultationi tuæ, qua nihil adhùc legi eruditius, reſpondeo, tuſſicula impeditus, quæ licèt minima, non minimi tamen exiſtimanda, cum hac in noſtri corporis imbecillitate minima ſæpè maxima fiant. A' ſalſis particulis in humorum maſſa nimio ſtudio, atque dieta exaltatis dictam febrem habuiſſe principium cōſidero, à quibus facta in maſſa ſanguinis continua, & immoderata effervecentia,

con-

continua exorta est febris, atque tribus horis à prandio, & cæna cum adveniente chylo obluctantibus, exacerbatio ejusdem succedit, undè facta in somno præcipitatione, & cohibitis, in cutis miliaribus glandulis, ichoribus, uberrimus effluit sudor, & subdulcibus glandularum intestinalium fermentis, in naturã pungentem, & irritantem, mutatis, intestinorum membranis irritatis, excretiones impelluntur, & ità, ut chylus in excretis animadvertatur; illæ eædem particulæ nutrimentum partibus abradentes, totius maciem produxere, undè oculorum concavitas, ossium eminentia, vividi coloris extinctio, præcordiorum ariditas, & alia hujusmodi symptomata emanarunt, & debita tensione partium, spirtuum copia, atque nervorum rore ablatis, languidum factum est corpus, & simulacrum potiùs mortis, quàm hominis æger demonstrat. Indicationes curativæ erunt inquinamenta humorum, irritationes, & fermentationem præternaturalem auferendi, atque fermenta viscerum firmandi, prò quibus attingendis, medicamentis hactenùs exhibitis, minimè spretis, ex usu sit stillatũ per quadraginta, vèl quin-

qua-

quaginta dies sumendum, paratum aqu. hord. lib.xxiiij.succ.depurat.cichor.sonc. violar.borragin.buglofs. pomor. dulc. a. lib. ij., emulf. quatuor semin. frigid. mar. lib. x. in his infund. s. a. corn. cerv. philof. calcin. lib. fs. chyn. unc. iiij. rad. cichor. gramin.altheæ, buglofs. a. unc. iv. summit. lupul. m. iij. facta infuf.adde cancr. fluvia nu.xxiiij.carn.duar.testudin. nemoral. levit. contuf. destill. omnia in alemb.dè liquid.capiat Æger manè lib.fs. & vesperè unc. iv. cui sempèr præmitti poterit bolus, ex magist. ocul. cancr. vèl margar.vèl corall.pp.& conferv. flor. borrag.vèl rof. confectus, quæ si non arrideant, ad asininū, vèl humanum lac accederem, sicùt ad balnea aquę dulcis, si permitterent vires. Victus sit facilis coctionis, & simplex, in quo antiet. & specific. stomatic. Poter. utetur. Potus sit aqua hord.respectu habito ad fluentem alvum, chalybeata, vel syr.cydonior. alterata: his non juvantibus, tamquàm secretum bellid. minoris usum ad sydera tollo, cujus stillat.aquæ capiat manè per mensem; & ampliùs, si opus erit, ad unc.viii. & utetur prò potu, eandem herbam cùm melle purissimo conditam in cæna, & pran-

prandio manducet, hoc uno medicamine quamplurimos mihi sub falce mortis abripere licuit, quod, ut spero huic etiàm eveniet, Faxit Deus, à quo omnis nostra sanitas emanat; tù verò Finucce vive diù, qui sempèr fuisti, & meis familiarissimis eris, quod ut confido patefaciam officiis; quid autèm dè me sentias, & qualis, & quantus sit amor ergà me tuus, certiorem me facies, si tamèn tenuitas mea hoc postulare poterit; interim patienti nostro plurimam salutem meo nomine te nuntiare deprecor. Valè.

CONSULTATIO LVI.
Prò Arthritide.

ET bonitas vitæ tuę, quę conspectum, & consuetudinem cœlestium spirituum impertietur, & virtus, qua sollicitudinibus non cruciaris, expectationibus non vivis, non times adversa, & qua talis, & tantus existis, uti ab alienis laudibus in te, præsertim Illustriss. Dominæ Dominæ N. N. audivi, me ad scribendum provocant tibi. Animi pathemata, quæ tùm extrà, tùm intrà N.N. Aulam hęc substinuit, principium salsum exaltavere, quod in massa

massa sanguinis præternaturalitèr effervescens febrem, cùm summa siti conjunctam, induxit, ad cujus curationem, cùm Medicus menses post ferè duos, accessisset, & ad usum pulv. chyn. chyn. absque purgatione præmissa, venisset, febris lenta supervenit, in qua cùm dicti salis aliqua portio ad intestina corruisset, eorumque membranas exasperavisset, bile vi confluente, diarrhęam, sinè tamèn summo patientis incommodo, progenuit; atenim verò cùm in Re Medica, imperitis prę humano respectu assentiendo, in pejus ruamus, adstringentibus remediis diarrhæa suppressa, vomitus biliosæ materiæ, cùm flatibus, & summo renum ardore, quo summoperè vexabatur emanavit, à quibus per remedium chymicum erepta, transmigratione dicti salis irritantis, pungentis, & coagulantis, cum bile permixti, ab intestinis media humorum circulatione, ad nervos itinere ad Galliam lacessitos, & naturlitèr molles, peracta, in arthriticos dolores, sinè febre, & tumorem, dolore vacantẽ superioris dextræ mammæ partis, prolapsa est; ab his igitùr dictam Illustriss. Dominam, cujus temperamentum te minimè latet, dùm plurimis an-

annis ad sanitatem ejus incubuisti, liberandi causa, Medicas Indicationes haberem, supradictos sales diluendi, eliminandi, & sic congestiones auferendi, atque nervorum genus corroborandi, prò quibus assequendis, leniente immisso, ad jus ex cichor. borragin. fumar. & aliis alteratum, octo vèl decem diebus sumendũ, accederem; deìn leniente repetito, tẽpore verni fluente, quo per cutem infesta eliminare natura solet, sudorificum decoctum per xl. dies ex radic. chyn. sal. parill. sassafr. salv. cichor. & fumar. paratum ponerem in usu, cui corn. cerv. ust. vèl bezoar. occident. vèl pilull. ab extract. lig. sanct. & trochisc. viper. confectæ, præcedant: in curationis decursu leniens octavo quoque die repeterem, & doloribus urgentibus, à fomentis anodynis, vèl ex lacte, vèl ex aquis verbasc. albi, vèl malv. vèl ex floribus chamæmel. vèl sperm. ranar. & à linimentis, cataplasmat. ex hujusmodi patratis, non abhorrerem; jis non arridentibus ad thermas sulphureas vèl ad sicca balnea accedere consulerem. Victum facilis coctionis, & boni succi, potum aquæ sal. parill. juberem, & hilaritatem animi insinuarem. Quæ fragili, & cur-

& currenti calamo ſcripſi, tibi vir humaniſſime, ſubmitto, ut quæ velis fieri, ſi tibi grave non erit certiorem me facias: Vale interim mi N. N. & ſi aliquid in me eſt, tuum judica eſſe.

CONSULTATIO LVII.

Prò Scorbutica Affectione.

Ægritudinum exitus, quàm variæ ſint Doctorum ſententiæ, manifeſtant, quod ſi quis ſecũdùm rationem medetur, & methodũ, etiamſi aliquid prætèr rationem ſuccedat, laudabilitèr agere intelligitur, cõvenit igitùr nobis optimo ſtudio niti, admodùmque cõtinuo, ut in curãdo nihil, niſi Dei gloria, & ægrorum utilitas, reſultet, quod tu, vir clariſſime, ac omni virtutũ laude circũfluens, uti Conſultatio tranſmiſſa tua patefacit, non dubito quin agas. Ex gelidis aquis, & ſaccharatis, quibus æſtivo tempore patiens noſter utens fuit, partibus chyli volatilibus, ac ſpiritalibus amiſſis, ſulphureæ exaltatæ ſunt, quibus in maſſam ſãguinis ductis, & irregularitèr efferveſcẽtibus, pulſus varietas, & ob volatilitatis, & balſamitatis defectũ;

totius macies,cumque in venis minimis, crurum præsertim, ac gingivarum deponantur,istarum partiũ erosiones,nigredo, & alia symptomata, in doctissima schedula enarrata, à quibus affectio scorbutica constituitur, emanant: Ab hoc igitùr morbo cum,decimũ secundum ętatis suæ gerētem annum, & habitus corporis gracilis,liberādi, nè in morbos maioris notæ incurrat,Medicas Indicationes haberem, humorũ massam purificādi, ac volatilem reddendi,partesque firmandi,prò quibus obtinēdis pulp.cass. cum jusculis cichoraceis præmissa, & in toto curationis cursu octavo quoque die, vèl cum opus fuerit, repetenda,ad decoct.vip.cochlear.nastur. aquatic. alteratum accederem, cum quo matr.perl.vèl ocul.cācr.pp.æger assumat, quo nō proficiente, aliud decoctũ ex sals. parill.elect. radic.chyn.pulver.corn.cerv. vèl ebor.lign. visc.quercin. vèl jus cochl. fumar.alteratũ cum magnes.alb.& tādèm temporibus verni venientibus, asininum lac cum succ.cochl.& emulsiones seminũ melonũ post prandiũ adhiberem; interim à topicis uti sunt vinum myrrhatũ,succus cochlear. spirit. vitriol. sulphur. non abhorrerē. Victus sit optimi succi, & potus

aqua

aqua ſals.parili. Hæc quæ literis tibi nuncio à vitiis emergent, ſi animo hilari recipias, quod ut efficias, ſuppliciter oro. Vale.

CONSULTATIO LVIII.
Prò Ictero.

NOli, Excellẽtiſs. vir, te triſtitię, atque lacrymis dare, ſi labores tuos, atque eruditiſſima ſcripta in ſolo patrio, infẽsũ ſæpè animum in ſuos gerente, vèl nihili exiſtimãtur, vèl ab aliquibus, nèc meliora facientibus, nèc opem litteris ferentibus, reprehenſa cõculcantur; sèd in ſcribendo omnem curam, & operã pones, non enim ſuus bonis artibus honor, niſi multis poſt ſæculis, reſtituitur; Cõſultationes præſertim omnis poſteritatis admiratione digniſſimas exara, uti hãc, mihi trãſmiſſam, & ſummis laudibus ornaberis; in iſta dicis Adm. Rev. D. temperamenti calidi, & ſicci, ad triginta annos natum, cibis difficillimæ coctionis, & ſiccis veſcẽtem, ictero ilaborare, ſuper quo ſentio, bilem eſſe mixtũ particulis ſulphureis maximoperè conſtans, aliorumque principiorum, tùm activorũ, tùm paſſivorum minimam par-

tem habere,atsi istorũ aliquod plusquàm par est exaltetur,affectiones variæ nascuntur; in nostro igitùr patiente pars terrea, prò erratis in genere victus, coacervata, & crassitiem mixto huic adducẽs,prolabi hoc ad intestina prohibet,ex quo albo colore feces excernũtur,& blãda intestinorũ irritatione,ac volatilizatione,chylo,aliisque humoribus successivè danda, ut reficiantur vires, ablata,& alvi suppressio,& totius corporis laxitas emergit; massam sanguinis repetens urinas intenso colore flavo inficit,circulatione media ad ambitum corporis ductũ, flavum colorem, ac lenitèr cutim irritans pruritum adducit, his symptomatibus clarè affectio icterica, facillimæ curationis, distinguitur, à qua cum liberãdi medicam indicationem haberem, dictũ mixtum, seù bilem fluidam reddendi, prò quo obtinendo, præmisso medicamine ex electuar.alexandr.vèl syr. ros. solut. s.a. parato, ad jus cicohr. rad. rub. tinctor. petroselin. summit. absynt. pontic.centau.min.rasur.ebor.& sacchar. alb. edulc. per plures dies venirem; dein solutivo medicamine repetito,& in curationis cursu repetendo, si opus fuerit, ad mart, aperi. cum eodem alterato jure sumen-

men-

unendum, accederem, & tandem extract. rhabar. centaur. minor. cum vino absynt. roman. alterato, & condit. ex conser. viol. borragin. dè cortic. citr. confect. hyacint. alkerm. off. è cord- cerv. fol. aur. facchar. perlat. syr. dè pomis, dè succ. boragin. confecto, & capiend. per vices, uterer, quibus non arridentibus, impleatur venter pull. gallinac. radic. aspar. fol. dent. leon. gram. cichor. fol. pimpin. capill. vener. bugloss. & parvo cremor. tartar. dein bulliant in s. q. aqu. fontis ad perfectam cocturam juri percolat. adde syr. dè duab. radic. unc. ii. dè cichor. compos. unc. iii. destill. omnia in vase vitreo cujus stillat. c. unc. iii. singulo manè, tinctur. chalyb. g. vii. superbib. Crassitie bilis erepta, flavus color nisi evanescat, balneū aqu. tepid. laudo, in quo corpus sacculo farina hordei repleto confricetur. Victus sit facilis coctionis, nonnihil aromatizatus, & potus vinum chalybeatum. Faxit Deus, Vale.

CONSULTATIO LIX.

Prò Stimulo ad Venerem.

ET fortunæ, & virtutis tuæ sonitus ad meas pervenit aures, illa te amore mini-

minimè prosequor, sèd quia hac illam superas magnoperè tibi gratulor, illa divitiis ità multorũ oculos obsepit, ut istjus venustatem aspicere nequeant, ista collustrati despiciũt illam; tu verò Vir prudens quanti istam existimas, Consultationes tuæ doctè, elegantèr, & methodicè scriptæ, & apùd me tamquàm testes custoditæ patefaciunt: scribis enim Illustriss. Dominum, plenissimam Virtutum vitam agentem, ad Venerem stimulo summoperè vexari, & ità, ut qualibet diei, noctisque hora experiatur, à quo turpi jugo auferendi se Abbas, licèt intemeratum corpus continuò ferris, funibus, virgis, & omni flagrorum genere plectat, & ad summam dietam se conferat, nullam huc usque depressitatem expertus est sensus, undè ad Apollinis artem compellitur ire. Quinque sunt mixtorũ omnium principia, ut mea fert sententia, quorum tria activa, sal nempè, spiritus, & sulphur, terra, & aqua passiva persistũt, ista secundùm diversos status, gradus, & eminentias, varios producunt effectus; sal igitùr, quod ad rem nostram pertinet, in nobilissimi viri sanguineis humoribus, & nerveis ad fluorem evectũ, nervorũ origines irritat,
undè

unde verosimilè est, & cerebrum,& cerebellum ad neruos appensos,præsertim ad virile membrum magna in copia succum nerveum exprimere, ibique tumescens erectionem illius efformat, à qua Adu. Rev.D. sicco, biliosoque temperamento præditum, liberandi causa, medicæ indicationes erunt, humorū massam edulcurandi, & consequentèr irritationes auferendi, prò quibus obtinendis, præmisso leniente ex cass.semin.citr.correpr.& aqu. Nuceri.vèl hordei œnophorum unum superbibendo,& cum necessitas impelleret, saltèm qualibet declivitate lunæ repeterem,ad jus singulo menè ex lactuc.portul. plantagin. endiv. & semi. citr.alteratum, vèl potionem capheæ pervenirem; quatuor horis à prandio emuls. ex semin. lactuc. vèl papaver.alb. vèl agn.cast.parata, in usu ponatur;post cænam cōserv.rosar. vèl cucurbit.vèl viol.cum aqu.lactuc.vèl nympheæ utatur. Victus sit refrigerans,& humectans,potiùs plenus, quàm tenuissimus, cum quo vèl gelatin.corn.cerv.vèl pulver. oculor.cancr. pp. assumat,ab acidis,& salsis cibariis abhorrendum,solatia potiùs,sed honesta,quàm abstinētia complexu tenenda, nè dictæ irritationes adaugean-

augeātur. Potus sit vinum dilutum, quod magis diluit, quàm aqua simplex. Tabacci usus sit frequens. His non arridentibus à Deo expetenda sunt remedia, cujus justissimi fines inperscrutabiles extāt. Vale.

FINIS.

ERRATA.			CORRIGE.
pag. 6.	vers. 24.	fore	ferè
pag. 20.	vers. 1.	indicatione	indicationes
pag. 26.	vers. 15.	obseruantla	obseruantia
pag. 28.	vers. 22.	promereris	promerearis
pag. 29.	vers. 8.	In	in
pag. 34.	vers. 10.	persitat	persistat
pag. 45.	vers. 24.	optas	optatas
pag. 45.	vers. 25.	perveniat	sit peruēturus
pag. 58.	vers. 16.	ponatur	ponantur
pag. 87.	vers. 21.	sentatio	sensatio
pag. 116.	vers. 4.	imitaris	imiteris
pag 133.	vers. 13.	eam	eum
pag. 138.	vers. 7.	adhibis	adibis